

# PALAESTRA

## LATINA



ANN. XXX (Fasc. II) — N. 170  
M. A. JUNIO MCMLX

# PALAEstra LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii BARCINONE edendi

Constat in Hispania et America Hispanica: 60 pesetas; in Gallia: 8 francs; in Italia: 1.000 libellis; in Germania: 6'5 marcis; in Anglia: 12'5 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAEstra ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetas; in Gallia: 2'5 francs; in Italia: 300 libellis; In Germania: 2 marcis; In reliquis civitatibus: 0'50 dollars.

Premium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA (10)

vel ad PROCURATORES singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## INDEX

ANN. XXX (Fasc. II) N. 170

M. JUNIO A. MCMLX

C. EICHENSEER, <i>Quod praeceptum ei sit observandum, qui vult scribere latine</i> . . . . .	65
N. MANGEOT, <i>Aeneas in Orcum descendit</i> . . . . .	75
M. PAOLILLO - F. ALOISE, <i>Portus</i> . . . . .	80
AE. ORTH, <i>De Galeno Pergameno</i> . . . . .	86
G. B. BEACH, <i>Plura de latina lingua inter doctos communi</i> . . . . .	94
J. M. <sup>o</sup> MIR, <i>Nova et Vetera: Ludus litterarius - Schola</i> . . . . .	97
J. SIDERA, <i>Per Orbem</i> . . . . .	103
BIBLIOGRAPHIA, Sidera, Ijsewijn, García, Molina, Aramendía, González, Philoponus, Marqués, Mir . . . . .	107
PALAEstra ADULESCENTIUM	
De capillorum cura apud Romanos . . . . .	117
B. RODRIGUEZ, <i>Novissimum vulpis facinus</i> . . . . .	118
J. PALOU, <i>De miribili eventu Domini Quixoti</i> , I. RICART, <i>De Jove Statore</i> , P. CAPDEVILA, <i>De secundo bello Punico</i> . . . . .	120
F. GARCIA, <i>Lupus et ovis</i> , P. PEREZ, <i>Fridericus II</i> . . . . .	121
C. Marcius Coriolanus . . . . .	122
De alumnorum commercio epistulari. . . . .	124
N. MANGEOT, <i>Periculosa cum bestia pugna</i> . . . . .	126
E. MIEIRA, <i>Verborum aenigma</i> , G. GARCIA, <i>Ne me interficeritis</i>	126
A. AVENARIUS, <i>Amor lucri ingenium acuit, Ad saltum equi, Solutiones</i> . . . . .	127
Recubate molliter!, TORNER, FONTS, ARMENDARIZ, ORTIZ, LLORCA . . . . .	128

# PALAEstra LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII  
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

---

ANN. XXX (FASC. II) — N. 170

M. JUNIO

A. MCMLX

---

Quod praeceptum ei sit obser-  
vandum, qui vult scribere latine

Bartholdus Georgius Niebuhr, vir litteratissimus rerumque antiquarum peritissimus, die vicesimo septimo mensis Augusti anno millesimo septingentesimo septuagesimo sexto Codaniæ (sive Hafniae<sup>1</sup>) natus, mortuus est die secundo mensis Januarii anno millesimo octingentesimo tricesimo primo in urbe Bonna<sup>2</sup>. Qui inde ab anno millesimo septingentesimo nonagesimo quarto Chilonii<sup>3</sup> per duos annos litterarum studiis se dedit, quae illinc

---

\* CChL = Corpus Christianorum, series Latina, Turnholti (*Turnhout*) in Belgio 1954 sqq.

CIL = Corpus Inscriptionum Latinarum, consilio et auctoritate Academiae Litterarum regiae Borussicae editum, Berolini (*Berlin*) 1863 sqq.

CSEL = Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum, Vindobonae (*Wien*) 1866 sqq.

THILL = Thesaurus Linguae Latinae, editus jussu et auctoritate consilii ab academis societatibusque diversarum nationum electi, Lipsiae (*Leipzig*) MCM sqq.

1. BACCI, Lexicon<sup>3</sup>, Romae 1955, p. 177: Copenaghen: Codania, Haphnia, Haunia, Hafnia.

SEUMER, Albert, Kirchenlateinisches Wörterbuch 2, Limburg / Lahn 1926, p. 376: Havnia, —ae f.: Kopenhagen.

2. Bonn. Quod oppidum nunc est caput rei publicae Germanicae foederalis. Cf. PAL. LAT. n. 167: 29 (1959) 162: Germaniae foederalis. C. THILL vi, 1 994, 50-52: foederalis Gloss. v. 23, 25 (= 69, 6): foedera<les> dicuntur sacerdotes per quos foedera flunt inter duas gentes, quae post bellum ad pacem redeant (*vel ventunt*) deducta ex SERV. Aen. 1, 62. Cf. ibid. p. 994, 69-995, 80: foederatus, —a, —um. Cf. VIT. LAT. n. 9. Janvier 1960, p. 84: Adenauer, Germanorum foederatorum cancellarius. Cf. THILL: Index librorum scriptorum inscriptionum, Supplementum, Lipsiae 1958, p. 2 *involuci*: Ministerium rerum internarum foederis Germanici *Bundesministerium des Innern*.

3. Kiel. Quod oppidum prope a fine Germaniae ad septentriones spectantis situm est.

digressus primum Hafniae postea in Anglia et Scotia persecutus est. Anno autem millesimo octingentesimo in Dania ad rem publicam accessit, sex annis post in Borussia<sup>4</sup>, ubi rationem publicorum fructuum sumptuumque<sup>5</sup> aliquatenus conturbatam mirum quantum composuit. His annis eam epistulam ad adulescentem quendam in litteras antiquas incubiturum datam scripsisse videtur, quae demum anno millesimo octingentesimo undequadragesimo, post ejus scilicet mortem, in publicum proposita est. Anno autem millesimo octingentesimo decimo discordiis variis commotus a negotiis publicis destitutus. Sed cum esset acadēmiae litterarum Borussicae sodalis, in academia<sup>6</sup> nova Berolinensi scholas de historia Romanorum habere prospero cum eventu coepit. Deinde ab anno millesimo octingentesimo decimo sexto usque ad annum millesimum octingentesimum vicesimum tertium Romae munere legati Borussici functus Bonnam in Germaniam revertit, ubi, quo magis in vitam privatam concedebat, eo felicius in litteras antiquas inquirebat magistri munere quadamtenus usque ad vitae finem perfunctus<sup>7</sup>.

Ejus consilia etiamnum neutquam obsoleta, quibus illum adulescentem, qui in animum induxit litteris antiquis cognoscendis studere, disertissime prosecutus est, in celeberrimis hujus generis numerantur, quippe quae non solum cuique, qui studia antiquitatis tractat, necessario sint observanda, sed etiam cuilibet, qui latine commentari cogitat, utique respicienda. Eminet autem inter ceteras hujus epistulae partes illud praeceptum quo quisque monetur, ne sermones latinos variarum aetatum arbitratu suo insolenter inter se permisceat, sed affectatus colorem quendam certum exemplum scriptoris praestantioris sequatur. Accedunt aliae res diligenter spectandae, ut ratio sententiarum comprehensionem dilucide componendi atque necessitas sententias evidenter inter se conectandi. Tamen mirum est, quod ipse P. Nar-

---

4. *Preussen, Prusia, Prussia, la Prusse.*

5. Cf. *commentarios*, qui inscribuntur CICERO, Romae editos: 1 (1-58), fasc. 1, pag. 2 *involuci*, cf. pag. 10; publici fructus sumptusque minister = *Finanzminister*, *Ministro de Hacienda*, *Ministro de Finanzas*.

6. *Universität*, *universidad*, *università*, *université*; cf. BACCI, *op. mem.*, p. 680 sq.; vocabulo *academiae*, utitur Johannis Rubenbauer. Cf. THILL 1 245, 72-246, 22 *Academīa*, — ae f. Cf. CIC. *Orat.* 11 *fateor me... non ex rhetorum officiis, sed ex Academiae spatis exstisset* (TAC. *Dial.*, 32; QUINT. *Inst.* 12, 2, 23). In scriptis ecclesiasticis non raro usurpatum nomen *«Athenaei»*. Cf. AAS 51 (1959) 401: *Pontificium Athenaeum Lateranense universitatis titulo et honore decoratur*; cf. *ibid.* p. 74-79 et 843. Cf. *commentarios*, qui CICERO inscribuntur: fasc. 2 (annus 1958), pag. 2 *involuci*: in maximo Athenaeo Romano, Mediolanensi, Patavino, eqs. Cf. THILL 1 1031, 18-31 *Aur. Vict. Caes.* 14, 3: *ludum ingenuarum artium, quod Athenaeum vocant (instituit Hadrianus)*. LAMPR. *Alex. Sev.* 35, 2: *ad Athenaeum audiendorum et graecorum et latinorum rhetorum vel poëtarum causa frequenter processit*. HIER. *in Gal.* 3 *praef.*: *omissaque apostolicorum simplicitate et puritate verborum quasi ad Athenaeum et ad auditoria convernitur, ut plausus circumstantium suscitentur*. *epist.* 66, 9: *quando omne Athenaeum scholasticorum vocibus consonabat*. SIDON. *epist.* 9, 14, 2: *Athenaei subsellia*.

7. Cf. *opus*, quod inscribitur: *Der Grosse Brockhaus*, vol. XIII, Lipsiae 1932, p. 363 sq.

cissus Liebert in hac epistulae parte latine reddenda id omiserit, quod Niebuhr omnibus magnopere inculcavit. Quod utrum consulto fecerit necne, non satis constat. Ut autem rationes variae verborum in latinum vertendorum inter se conferri possint, ea quoque afferuntur, quae Johannes Rubenbauer, magister linguae latinae celeberrimus idemque scriptor Thesauri, qui dicitur, linguae latinae<sup>8</sup> clarissimus, in latinum convertit. Idem per duodequadraginta fere annos, quod sciam, id est per septuaginta quinque semestria, in academia Monacensi exercitationes<sup>9</sup> latine scribendi habuit, quas die vicesimo quinto mensis Julii anno millesimo nongentesimo quinquagesimo sexto plus septuaginta annos natus finivit hora tertia postmeridiana (secundum recentiorem modum horas computandi) pollicitus se etiam in posterum, si condiciones occasionesque ita ferrent, scholas quasdam habiturum, et testatus societate se quadam cum discipulis suis devinctum permansurum libentissimoque animo cuilibet succursurum, quoties difficultates magnae superandae essent. Qui etiamnum id studet, ut contentis viribus volumen octavum Thesauri linguae latinae conficiat, quo ea vocabula contineri noscuntur, quae ab *m* littera incohant<sup>10</sup>. Fxit Deus, ut res prospere procedat.

Totam autem Niebuhri epistulam, ut illuc redeamus, unde discessimus, P. Narcissus Liebert ordinis sancti Benedicti in latinum, qua polluit sermonis elegantia, transtulit. Hic compluribus commentariis, epistulis, opusculis latine redditis, quamvis magna ex parte essent argumenti difficillimi, tantam adeptus est gloriam, ut etiamnum in scholis hujus generis merito celebretur commendeturque cunctis latine scripturientibus<sup>11</sup> maximo cum fructu cum meditandus tum imitandus, cum non solum scripta, quibus de antiquitate agitur in ejusque condiciones varias inquiritur, in latinum converterit, sed etiam commentationes aetatis recentioris, quarum sententiae saepenumero nimium quantum a genere dicendi cogitandive antiquorum differunt, mente conceperit more Romanorum antiquorum verbisque expresserit Ciceronis elocutioni non absimilibus.

Ceterum Johannes Carolus Pulchrimontanus, quantum scio, ipso usus est magistro probissimo omniumque ore non mediocriter laudato. Quid mirum, si tamquam stella in caelo fulgebat, qui non solum admirationem sui non exiguum excitavit, sed multo magis demonstravit, quam flexibilis etiam-

8. Cf. LATINITAS 5 (1957) 115: Joannes Rubenbauer ex collegio scriptorum «Thesauri Linguae Latinae». Cf. J. JIMÉNEZ, C. M. F., *Thesaurus Linguae Latinae*, PAL. LAT. n. 134: 22 (1952) 283-185.

9. Cf. PLIN. nat. 11, 68: exercitationem... sollemnem habent (=THLL v, 2 1380, 58).

10. Cf. SERV. Aen. 6, 104: si pars sequens orationis a vocali incoheta. CASSIOD. Gramm. vii 163, 2: (*ex Papiriano*) litteram a qua sequens incohata verbum. Cf. THLL VII, 1 969, 49 53; 970, 63. 70.

11. Cf. FORCELLINI, *Lexiton totius latinitatis*, tom. iv, Patavii 1940, p. 265.

num lingua latina esset idoneaque ad sensa mentis verbis explicanda, atque id quidem ea quoque aetate, qua homines, ut Johannis<sup>12</sup> Papae Vicesimi Tertii verbis utar, jam coepissent similiter atque eae, quas fabricarentur, machinae algidi et duri et amoris expertes exsistere<sup>13</sup>. Tamen providentia divina videtur esse effectum, ut in Narciso, patre illo reverendo, genius romanus cum Christiano conjungeretur. Idem cunctis quaestionibus recentioribus quamvis interdum difficillimis prorsus apertus multumque etiam in disciplinis naturalibus, quae hodie tanti aestimantur, versatus mente comprehendit cuncta, quibus commoverentur hominum animi non raro incerti, quossum verterent. Indoles autem ejus natali solo singulariter praeformata<sup>14</sup> esse videtur. Nam Augustae Vindelicum<sup>15</sup>, in municipio provinciae Raetiae<sup>16</sup> jam initio splendidissimo natus est die duodecimeno mensis Martii anno millesimo octingentesimo quadragesimo quarto. Hujus provinciae olim romanae situm condicionesve Publius Cornelius Tacitus, celeberrimus ille rerum scriptor romanus, laudibus extollit. Nam ait: «Et haec quidem pars Sueborum in secretiora Germaniae porrigitur: propior, ut, quo modo paulo ante Rhenum, sic nunc Danuvium sequar, Hermundurorum civitas, fida Romanis; eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Raetiae provinciae colonia<sup>17</sup>». Hujus provinciae caput circiter annum quintum decimum ante Christum natum conditum computatur. Quod oppidum sesquialtero saeculo transacto ciiciter annum centesimum vicesimum primum nomine municipii decoratum insignius redditur ex illo tempore Aelium ab imperatore P. Aelio Hadriano cognominandum. Postea Diocletiano imperante circiter tertium saeculum exiens Raetia in duas partes dividitur, in Raetiam primam et secundam. Illius pro-

12. Cf. *Collectanea Biblica Latina*, vol. XIII, Romae 1959, pag. 3: IOHANI XXIII PONTIFICI SUMMO AUCTORES LAETI OBTULERUNT. Hoc loco nomen Summi Pontificis per litteram scribitur. Quam scripturam antiquissimi euangeliorum codices testantur. Cf. PAL. LAT. n. 162: 28 (1958) 351, adn. 1.

13. *Osservatore Romano*, A. xcix. - n. 82 (30.04.1959) Giovedì 9 Aprile 1959, p. 1; *Acta Apostolicae Sedis* (=AAS) 51 (1959) 302; PAL. LAT. n. 166: 29 (1959) 66; *Ephemerides liturgicae* [Romae] 73 (1959) 368. Cf. *ibid.*: »Pro dolor, sunt sat multi, qui mira progressione artium abnormiter capti, Latinitatis studia et alias id genus disciplinas repellere vel coercere sibi sumant, ut quam maxime calculis et rationibus dediti et machinatores novae aetatis sint cives».

14. Cf. FORCELLINI, *Lexicon totius latinitatis*, tom. III, Patavii 1940, p. 810. Cf. TERT. apcl. 1, 10, 54 sq. (Chl 1, 86): quanti enim ad malum reformantur (*var. l.*: praetormantur)! quanti transfugae in perversum!

15. «Augusta Vindelicum seu Vindelicorum» = Augsburg. Cf. THILL II 1418, 79-81: ITIN. Anton. Aug. p. 249. Cf. AAS. 51 (1959) 434: Augusta Vindelicorum.

16. Cf. CIL V 3936 PROCURAT(or) AVGVSTOR(um) ET PRO LEG(ato) PROVIN-CIAI RAITIAI ET VINDELIC. ET VALLIS POENIN(ae). Animadverte quae hoc exemplum monumentumque ae diphthongi sic enuntiatae, quasi sit ai.

17. TAC. *Germ.*, 41 (ed. Gudemann.) Berolini 1916, pg. 209 sq.

vinciae tum Curia<sup>18</sup> caput electum est, hujus Augusta Vindelicum comprobatum. Sed jam illa aetate primum dioecēsis Christiana ibi constituta creditur non quidem litterarum monumentis testata sed multis vasis fundamentisque aedium Christianorum propriis effossis. Ibi Afra, virgo sancta et martyr, circiter annum ducentesimum nonagesimum a Narciso, episcopo reverentissimo<sup>19</sup>, ad religionem catholicam complectendam<sup>20</sup> conversa pro Christo Dei hominumque mediatore et aeternae salutis uno auctore sanguinem profundisse in rogo combusta traditur. Hanc Venantius Fortunatus, celeberrimus ille poëta Christianus, qui saeculo sexto Raetiam peragravit, summopere cultam atque celebratam cantavit his versibus:

Pergis ad Augustam, qua Virdo el Licca<sup>21</sup> fluentant.  
Illic ossa sacrae venerabere martyris Afræ<sup>22</sup>.

Quid igitur mirum, si illum, de quo agimus, luce vix aspecta ibi lavacro regenerationis ecclesiae Dei universalī incorporatum parentes prisca tempora Christianorum recordati nominaverunt Augustinum, ex illo scilicet rhetore celeberrimo Mediolanensi, episcopo postmodum Hipponeensi atque ecclesiae doctore omnium longe doctissimo et humanissimo et eloquentissimo, qui scientia scriptorum optimorum auctorumque locupletissimorum linguae latinae imbutus mysteria Christiana singulariter comprehendit, explanavit, descripsit<sup>23</sup>.

His ominibus prosperis praemonitus condicionibusque commodis commotus gymnasium Augustanum proxime ab abbatia Benedictina Sancti Stephani situm frequentavit. Hujus disciplinae curriculo rite quin etiam

18. *Chur. Est oppidum in Helvetia situm.*

19. Modū gerundivū non est in latīno gradus superlatīvus. Ob id ipsum +reverentissimus+ passive usurpatūr. Cf. *Acta Conciliorū Oecumenicorū*, ed. Ed. Schwartz, tom. II, vol. 4, Berolini et Lipsiae 1932, p. 26, 14 (=Lro M. epist. 41, 1): ab ipsis reverentissimis episcopis. *Ibid.* tom. iv, vol. 2, Argentorati 1914, p. 142, 7 sq.: jubete ergo ea quae judicata sunt a Phōtio et Eustathio reverentissimis episcopis reegl. p. 142, 11: a praefatis reverentissimis episcopis. p. 144, 8: adversus Hibam reverentissimum episcopum p. 144, 19: reverentissimae et sanctissimae memoriae Johannem. tom. I, vol. 3, p. 48, 5: sororem plissimam (*varia lect.* reverentissimam). tom. I, vol. 5, p. 9, 27 sq.: inter reverentissimas matronas. p. 362 10: reverentissimis palatini. tom. I, vol. 4, p. 164, 6: multi reverentissimi clerici. p. 223, 6: reverentissimae Pulcheriae. p. 175, 11: et praesit reverentissimo monasterio. tom. II, vol. 3, pars 1. *CODEX Justinianus* 1, 3, 25, 1; 1, 3, 25, 2; 1, 3, 28, 1; 1, 3, 28, 3; 1, 3, 28, 4, *multisque alitis locis*. GREG. M. *Dial.* 2, 35 (ed. Moricca, Romae 1924, p. 130, 9): et reverentissimum virum Germanum episcopum. —Innumerabilia alta exempla exstant.

20. Cf. *Litteras encyclicas Princeps Pastorum*. Johannis XXIII: qui catholicam amplectuntur religionem (AAS 51 [1959] 851).

21. Hi duo fluvii hodie appellantur Wertach et Lech.

22. VEN. FORT. *Mart.* 4. 642 sq. (*Mon. Germ. Hist.*, auct. ant. IV, 1 p. 368).

23. Cf. TESTARD, Maurice, *Saint Augustin et Cicéron*, t. I: *Cicéron dans la formation et dans l'œuvre de saint Augustin*, t. II: *Répertoire des textes*, Paris 1-58; HAGENDAHL, Harald, *Latin Fathers and the Classics*, Göteborg 1958 (*Studia graeca et latina Gothoburgensia*, VI).

excellentissime transcurso<sup>24</sup> die vicesimo mensis Maji anno millesimo octingentesimo sexagesimo quarto illud monasterium a Sancto Stephano nominatum ingressus est<sup>25</sup>, ubi ei nescio quomodo Narcissus nomen manachicum<sup>26</sup> inditum est, nomen videlicet illius episcopi primi Augustani. Ibi votis nuncupatis<sup>27</sup> tribus annis post sacerdotio auctus<sup>28</sup> est. Deinde Herbipoli<sup>29</sup> per duos annos in philologiam incubuit. Tum a professoribus<sup>30</sup> publice cum temptatus tum comprobatus commentatione academica confecta, quae est de doctrina Taciti<sup>31</sup>, in doctores palam promotus est<sup>32</sup>. Hoc diplomate<sup>33</sup> tam exornatus quam expeditus Augustam Vindelicum reversus munia magistri praceptorisque exsequenda suscepit. Inde ab anno millesimo octingentesimo duodesseptuagesimo discipulos superiorum potissimum classium linguas antiquas Graecorum Romanorumque docuit, per complures annos etiam Hebraeorum. Anno autem millesimo octingentesimo nonagesimo primo toti gymnasio moderando praefectus est. Quod munus tanta sapientia, prudentia, dexteritate explevit, ut memoria ejus dulcissima permanserit omnium animis infixa. Die vero vicesimo secundo mensis Martii anno millesimo nongentesimo tertio in morbum mortiferum incidit et tribus diebus post, id est a. d. VIII Kalendas Apriles, corona confratrum cinctus ecclesiaeque sacramentis

24. Cf. *Cod. Theod.* 6, 35, 14: *quindenni transcurso curriculo* (=ThLL IV 1507, 56 sq.)

25. Cf. *AUG. epist.* 211, 5 (CSEL 57, 360, 4): quando ingressae sunt monasterium. GREG. M. *epist.* 11, 15 (*Mon. Germ. Hist., epist.* II, 277, 23): si ingressus monasterium non fuisses.

26. Cf. *CASSIOD. Hist.* 1, 11, 1 (CSEL 71, 33, 2 sq.): qui conversatione monachica illo tempore fruebantur. 6, 1, 12 (p. 307, 44 sq.): tonsus monachicam simulabat vitam. GREG. M. *epist.* 9, 157 (*Mon. Germ. Hist., epist.* II, 159, 1 sq.): divini motus inspiratione compunctus gratiam monachicae conversationis appetit. 1, 40 (p. 55, 18 sq.): Si quos autem a clericatu in monachicam conversionem venire contigerit, non liceat eis... eqs.

27. Cf. *CIC. Att.* 8, 16, 1: cum ante lucem vota ea, quae numquam solveret, nuncupavit. *Phil.* 3, 11: ante lucem vota... ea nuncupavit. 5, 24: votis nuncupatis. Cf. *PiUM XII*: ob nuncupatum castitatis votum (*AAS* 46 [1954] 177), *ibid.*: ...qui adulescentes ab ingrediendo Seminario vel a Religiosis Ordinibus ac Sodalitatibus a sacrisque nuncupandis votis avertere contendunt...

28. Cf. *SVER. Vit.* 5: non solum honoribus verum et sacerdotiis amplissimis auctus (=ThLL II 1355, 46 sq.). CIL XIV 3568: (sacer)DOTIO AVC(tus), litteras mancas supplevit Mommsen (ThLL II 1355, 58). Cf. *litteras encyclicas* PiI XII «Sacra virginitas»: Considerent parentes quanto sibi honori sit suum filium cernere sacerdotio augeri (*AAS* 46 [1954] 190).

29) *Herbipolis*, —is f. = *Würzburg*. Hoc oppidum in Franconia Inferiore ad flumen Moenum situm est. Cf. CIL XIII 7070, 14 (*saec. I init.*) MOENVS.

30. Cf. *SPART. Hadr.* 20, 2 (ed. Hohl, Lipsiae 1955, p. 21, 13 sq.) / *Hadrianus*/ apud Alexandria in musio multas quaestiones professoribus proposuit et propositas ipse dissolvit.

31. *Würzburg* (=Herbipoli) 1868),

32. Cf. KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus der lateinischen Sprache* 7. I, Basel 1905, p. 400; cf. BACCI, *Lexicon* 3, Romae 1955, p. 355: in doctorum numerum cooptari, adlegi, adscribi; doctoris gradum dignitatemque assequi, consequi, mereri; laurea donari, honestari, decorari.

33. Cf. ThLL v, 1 1225, 68-1226, 21: diploma, —atis n.

efficaciter confirmatus obdormivit in Domino praestolatus adventum Christi suos a mortuis resuscitaturi.

Hic vir cum sapientissimus tum modestissimus epistulam Niebuhrī dignam arbitratus, quae omnibus cognoscenda neque umquam neglegenda proponeretur, illa verba in latinum convertit ratus non solum adulescentibus in philologiam incubituris, sed iis quoque, qui sacris officiis se dederent totos, consilium edendum esse, quo, quoties latine scriberent, libentes inquit memores uterentur. Unum igitur, qui latine commentari in animum induxit, colorem sermonis servet oportet aetatem quandam litterarum latinarum imitatus vel scriptorem quendam praestantiorem<sup>34</sup>. Nemo autem est, quin sciat in lingua latina tria praeципue genera dicendi distingui solita, genus humile seu exile et genus medium et genus sublime. Sermo autem cotidianus in genus dicendi humile refertur. Qui ergo in colloquiis familiaribus auribus oculisve inoffensis usurpaverit verba telephonandi<sup>35</sup> vel telegraphandi vel photographandi vel chionodromandi<sup>36</sup>, —nisi schiandi (*schiare*) verbum videatur inducendum—, aliis dicendi generibus usurus rem elegantius verbis exprimet. Nam telephonice cum amicis colloquetur, magistrum suum telegraphice de aliqua re certioreni faciet, imagines photographicas conficiet<sup>37</sup>, denique hiemis mensibus oblongis soleis per nives fulgidas cursu citato prolabetur<sup>38</sup>. Haec ergo discrimina qui diligenter observaverit,にてす quidem is aures offendet, immo brevi certior fiet, quid suis ipsius sententiis valeat ad hominum animos cum commovendos tum delectandos.

Post hoc prooemium aequo prolixius en verba epistulae laudatae ipsa<sup>39</sup>:

• Cum mihi mater tua suavissima scripsisset videri te propenso animo inclinare ad antiquarum studia litterarum, non solum laetari me respondi, sed orare etiam ipsam patremque tuum, ne forte aliis vivendi consiliis tibi constitutis ab illa te voluntate avocarent. Cum enim philologia —ita fere, opinor, rescripsi— quasi dux esset ceterorum studiorum, si quis hanc artem aetate puerili, perinde ac si per totam vitam esset professurus, summa tractaret industria, optime eum sibi viam aperire ad quamlibet aliam in academia amplectendam. Jam vero tam caram habes philologiam, ut tibi adulescenti, qua tecum caritate familiaritateque sum conjunctus, nullam aliam vitae

34. Cf. BACCI, *Lexicon* 3, p. VIII.

35. Cf. BEACH, VITA LAT. n. 9. Janvier 1960, p. 100 sq.

36. Cf. LURZ, SOC. LAT. 8 (1940) 2; 18 (1952) 16, 18, 20. *chionodromare* = *schifahren*, *esquiar*, *sciare*, *skier*, *to ski*. Cf. opusculum quod inscribitur: *Linderbauer*, P. Benno OSB.: *De verborum mutuatorum et peregrinorum apud Ciceronem usu et compensatione*, Mettamea (=Metten) 1891/92, pag. 61.

37. Cf. BACCI, op. mem., p. 277.

38. Cf. BACCI, op. mem., p. 570 sq., EGGER, *Latinitas*. 4 (1956) 119 sq.

39. LIEBERT, P. Narcissus, *Lateinische Stilübungen*, Augsburg 1905, p. 55-61.

condicionem optare malim praeter hanc ipsam. Est enim nulla nec tranquillior nec jucundior, nulla quae, sive officia sive usum spectas, melius consulat animi paci honesteque factorum conscientiae. Quanis saepe me non sine magno dolore paenituit, quod illa relictam transii ad publica negotia et contentiones, unde dubito an ne senectute quidem urgente perpetuo possim conquiescere. Ac magistri quidem munus ut summa commendatur sanctitate, ita profecto, quamvis multa mala cogitatam ejus speciem imminuant, humanissimum quemque vel maxime perducit ad vitam beatam. Hoc ego quondam mea sponte suscepturus eram: quod utinam persequi licuisset! Jam cum in ingenti rei publicae quasi campo omnes industriae nervos intenderim, me certe fastidiosorem evasisse intellego quam ut etiam nunc illud munus subire possim: tibi vero cum ex animo bene velim, exopto, ne tali captus fastidio otium fugere cupias illorum finium angustorum, quibus aequa ac tu munitus meam ego transeggi pueritiam.

Scripserat igitur mater tua velle te mihi commentationem exhibere, qua et industriam tuam probares et, quantum jam profecisses, in meam perferres notitiam. Quod ut te adhortaretur, eam oravi, non solum ut sincerissime tibi me studere tibi tuisque inde perspicuum esset, verum etiam quo in ipsa philologia, cum quid petendum sit tum quae viae eo ferant aut deducant, satis habeo exploratum, ut et eum, cui ex illis unam inire contigerit, ne decedat confirmem et eum, qui sit aberratus, ex animi mei sententia ut caveat moneam, idemque quo deventurus sit, nisi ad viam redierit, indicem. Ego quidem cum plerumque duce carerem et aliquando eos, qui ducere possent, nimia indulgentia monentes neglegerem, meam viam feci per multa ac densa dumeta. Forte fortuna —deo sit gratia— nunquam e conspectu amisi propositum et cursum relictum repetivi; sed multo propius ad finem accessisse nec tot pertulisse labores, si quis viam mihi monstrasset. Quod ob indulgentiam maxime omissum esse non ignoro, tum quod nonnemo videtur operam detrectavisse, quo minus id efficeret, ut, quae praeciperet a puero pro sua aetate parum modesto recte intellegerentur. Nec me fugit consilium a voluntate mea alienum certe mihi stomachum fuisse moturum: si tamen aperito datum esset, tum saltem in pectus demisissem et nunc grato animo aestimarem, etiam si acerbissime fuisse vulneratus.

Fateor libenter et vere possum hoc facere, commentationem tuam honorificentissimum industriae tuae testimonium et quantum illis plus sex annis, cum ultimum una fuimus, laboraveris et didiceris, summo me gaudio videre. Multa te video legisse cum scientiae cupiditate et animi attentione. Jam vero hoc primum aperte te moneo, ut sermonem latinum, qualis in te sit, examines et hoc in genere aliquid desiderari tibi persuadeas. Nolo te reprehendere, quod nonnunquam in legem grammaticam peccaveris; hac enim de re nihil dissentio a Spaldingio meo —cui ossa bene quiescant— qui in schola nihil minus indignabatur, dummodo adnotando paulatim illud extirparet.

Pejus se res habet, quod saepenumero deficis in periodis, quod falsis uteris vocibus, quod sermo tuus turgidus est ac dissolutus, quod verba ineleganter transfers.

Adeo non simpliciter scribis, ut sententiam, quae certa animo tuo obversetur, ambitiose efferas. Quod non copiose et quasi rotunde scribere potes, non reprehendo; nam etsi fuerunt nonnulli, superioribus maxime temporibus, qui eximio praediti ingenio eximiaque conformati ratione jam pueri id probe calerent, plerumque tamen ne esse quidem potest talis perfectio. Ubertas enim orationis et maturitas posita est in maturitate animi: quae per aetatis tantum gradus progreditur. Semper vero et possumus et debemus nec fucatam virtutis speciem captare et simpliciter recteque cogitare ac loqui. Hic igitur accipe a me utile *praeceptum*. Cum latine commentaris, quae dicturus es, quam maxime potes subtilitate tecum cogita et quam simplicissimis verbis absolve. Cognosce compositionem summorum scriptorum et interdum in una et altera periodo imitanda ita te exerce, ut in convertendo compositionis pedes dissolvas, dissolutos latine reddendo restituere coneris, qua quidem in exercitatione non tibi opus est magistro; sed ita velim id facias, ut, cum ad judicandi maturitatem perveneris, ex hac quasi meditatione capias fructum. In scribendo quaere diligenter, num tua oratio eundem referat colorem: Ciceronem et Livium an Tacitum et Quintilianum sequaris, nihil curo; sed certum aliquod tempus erit tibi deligendum, aut proveniet confusum quiddam ac varium, quod diligentes grammatici non minus indignentur quam si germanice scribendo sermonem medii saeculi XVII et hujus aetatis permisceas. Persequere artem conjungendi sententias, sine qua, quidquid perhibetur latinum, excruciat legentes. Maxime vero animum adverte ad translationes; in his enim quod non omni vitio caret, non est ferendum. Et hanc ipsam ob causam latine scribendo tam egregie instituimur ad universae orationis elegantiam<sup>40</sup>, quo in genere secundum a latino locum

40. Haec verba hujus *praecepti* singulariter composita Johannes Rubenbauer mense Februario, anno p Chr. n. 1954 hunc in modum, dum in academia Monacensi exercitationes habet recte scribendi, latine redditit:

Latine cum commentaris, ea, quae dicturus es, quam maxima poteris perspicuitate excogitato (mente concipito) et verbis quam simplicissimis (quam simplicissima) exprimoto (efferto). Atque (etiam) comprehensionem (continuationem) scriptorum maximorum cognoscito (cognoscas) et his imitandis te exerceto (exerceas) nonnullas partes ita convertendo, ut membra dissolvas dissolutaque in latinum vicissim vertendo restituas, quam ad exercitationem tibi magistro (magistri institutione) non erit opus (quam ad exercitationem duce non egebis). In scribendo autem sollicite requirito (requiras), num sermo tuus uno sit colore, qua in re nihil mea interest (nihil curo),

obtinet sermo gallicus, qui ne ipse quidem patitur quidquam ineptum, quod Germani in suo sermone mirum quantum neglegunt.

Rectissime fecisti, quod duas illas commentationes, quas exarasse te conimmemoraveras, non misisti, quoniam de his quidem rebus omnino non potes sano uti judicio.

Disce, dulcissime, disce diligenter! Semper explora, quid jam cognoveris, et in dies doctior fieri stude; haec enim cognoscendi ratio cum ab omnibus omni vita amplectenda est, tum vero ab adulescentibus, quorum integrum adhuc animi novitate litterarum ac dulcedine delectantur. Qui vero commentarium de qualicunque re conscribit, is profecto, quamvis infitias eat, vult docere; docere autem nemo potest sine aliqua sapientia, quo dono, si modo appetimus, compensat deus deficientem adulescentiae alacritatem. At qui sapiens esse non potest adulescentulus. Nec licet ita se defendere, ut sibi ipsi dicat talia se elaborare, quo argumenta quaedam accuratius perspiciat. Hac mente qui id facit, perperam agit et cum suo damno. Incomposite potius litteris consignet, quae omni jam cogitatione pertractavit; ne stilum prehendat, ut inter scribendum meditetur. Qui in orbem redigere studet, quae, sive res sive verba spectas, ne umbram quidem perfectionis habere possunt, in maximum is adducitur periculum, ne in specie et indiligentia acquiescat aut pessimam perniciosissimamque male scribendi exercitationem consequatur. O felicem arbusculam, quae in bono solo opportunoque loco posita a prudenti custode in rectum revocatur et firmissima succrescit! Sin immoda irrigatione in altum promissa invalida est et mollis, sine praesidio et admīniculo venti ictibus exposita, per omnem vitam materia ejus erit soluta et prava statura».

CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.

*Ex archiabbatia Ottiliensis. in Germania.*

utrum reddas sermonem Ciceronis et Livi an Taciti et Quintiliani, dummodo unum aliquod spatium eligas, ne varietas informis (confusum quiddam atque permixtum) oriatur, qua grammaticus verus non minus offenditur (quam aequi... aegre fert, ac si...) quam si germanice loquens confundas sermonem anni millesimi sescentesimi quinquagesimi cum sermone anni millesimi octingentesimi. Praeterea discito (discas) artem conectandi sententias (sententiarum conectendarum), qua carens, quicquid tamquam latine (latinum) scriptum perhibeas, animos legentium obtundas. Praecipue denique diligens esto (sis) in usu translationum (in verbis translatiis adhibendis; in verbis transferendis), qua in re quidquid non omni caret vitio, preferri non potest, quo fit, ut, qui latine scribere didicerit, omnibus modis bene scribere sciat.

Cf. SEYFFERT *Palaestra Ciceroniana* 1886, p. 218. Cf. etiam H. TONDINI, *De Ciceronianae imitationis ortu et progressione ab exordio renatarum litterarum ad P. Bembum*, LATINITAS 7 (1959) 166-181.

# Aeneas in Orcum descendit

Summi momenti libros, si recte intellegere velimus, qua mente quaque aetate sint conscripti, intellegi oportet. Quod et de sexto Aeneidos libro dicendum videtur. Bella enim civilia, quae ante Vergilium natum gesta sunt effecerunt, ut optimi quique, inter divina et humana jura impie protrita misere jactati, id sibi quaestionis ponerent, num boni eandem ac mali post obitum sortem essent consecuturi. Atque quo pejus injustitia imperabat justitiae, juri injurya, eo majorem spem concipiebant venturum aliquando, qui pristinum ordinem restitueret (*Cic. Leg.* 2, 36). Nec multi docti inventiebantur, qui Tartari fabulas pro veris haberent. Qui in tanta rerum perturbatione et mundum divina regi providentia et poenas aeternas fore malis credebat et beatitudinem bonis, is se meditationibus mysticis dare solebat, quas secta Stoica junior et Posidonius potissimum alere studebant. (*cf. Cic. Tusc.; Somnium Scipionis*). Hac ipsa turbulenta aetate Vergilius natus est nec secus atque alii plurimi philosophia Epicurea animi tranquillitatem et pacem se consecutum sperabat. Sed labanti imperio ordine firmo per Augustum redditio id coepit consilii conscribere carmen, quo —Homerum imitans— animorum post discessum sortem illustraret et futura imperii fata ore Anchisis praediceret. Copiosa quidem ei ex litteris graecis suppeditebat materia nec deerat Ulixis in Orcum descensus (libro sexto); sed cuncta ordine poetico et concinno complecti negotium sane arduum fuit. Attamen difficultates omnes vicit ingenium Vergilii ac labor improbus. Etenim actiones epicae, sermones, descriptiones mira inter se variantur arte. Ipsa quoque actio princeps nunquam languet, sed inde ab exordio ad finem usque augetur et in praclarissimum Anchisis sermonem desinit (752-886), culmen totius libri et coronam. Ac levis ille metus, quo qui exordium legit tenetur, in laetam spem transit. Nam sicut Aeneas ex sescentis periculis evasit incolmis, ita et Roma, licet pessima quaeque passura, ex umbris ad lucem aliquando emerget. Hanc artem poetica ac tale drama actuosum nemo deinceps vates latinus est assecutus, ne Ovidius quidem.

Sed quid potissimum Vergilius libro sexto intendit? Volebat ut Anchises futura imperii fata praediceret, Aeneas, populi Romani pater ac stirps, ad illustria facinora inflammaretur, Augustus imperator ea, quae omni opera et contentione persequeretur, poetice illustrata videret, praeterita cum praesentibus, praesentia cum futuris una eademque imagine conjuncta et se ipsum imperii benefactorem ac mundi servatorem. Sed Aeneam, ut Anchisem genitorem videre posset, in Orcum descendere necesse erat. Praeterea Vergilius Homerum, quem quilibet tunc aetatis doctus Romanus apprime noverat,

imitando permulta dicere debebat, ne legentes spe dejicerentur.

Quibus praemissis in ipsam libri sexti compositionem intran us.

#### AENEAS ET SIBYLLA 1-155

Desribitur Apollinis templum 13-33.

Subito Sibylla adest. Incipit drama: «Poscere fata tempus est» 45.

Jubet Sibylla Aeneam orare: «Cesses in vota precesque, Aenea?» 51.

Jam orat sollemniter, et ut ipsa Sibylla cantet, flagitat: «Ipsa canas, oro» 56-76.

Vaticinatur Sibylla «plena deo» plurima esse Aeneae ferenda pericula, plurima facienda proelia, dum eo, quo tendat, tandem perveniat: «Tu ne cede malis, sed contra audentior ito» 77-96. «Obscura vera involvens» 100.

Tum Aeneas petit a Sibylla, ut sibi in Orco genitorem videre liceat. Adulatur: «Potes namque omnia» 98-123.

Annuit quidem Sibylla, sed tria poscit: ut quaerat ramum aureum, Tartari clavem 136-148; Misenum inhumatum sepeliat 149-152; hostiam diis inferis mactet 154-155.

#### DESCENSUS PARATUR 156-263

Mors Miseni 156-174; sepulturae praeparatio: animum intende: «Ergo omnes magno circum clamore fremebant» 175: quattuor spondaeos!

Inventio rami aurei 185-211.

Funus 211-235.

Hostia diis inferis mactatur 236-263.

#### DESCENSUS 264-900

«Di, quibus imperium est animarum umbraeque silentes  
Et Chaos et Phlegeton, loca nocte tacentia late,  
Sit mihi fas audita loqui, sit numine vestro  
Pandere res alta terra et caligine mersas.» 264-267.

Cum nefas esset vel scire sedem dei Tartari, sollemnem poëtae supplicationem multum admiramur.

#### ADITUS TARTARI 268-294

«Ibant obscuri sola sub nocte per umbram  
Perque domos Ditis vacuas et inania regna» 268-269.

Ad hos versus praeclarissimos animum intende!

#### ACHERON 295-416

«Hinc via Tartarei quae fert Acherontis ad undas,  
Turbidus hic caeno vastaque voragine gurges  
Aestuat atque omnem Cocytu eructat harenam.» 295-297.

Quam pulchre Charon portitor pingitur! 298-304: «Stant lumina flamma,...

. Describuntur animae 305-316: Attende imaginem foliorum et avium!

Aeneas animas quasdam videt 333-383.

Aeneas, Charon, Sibylla 384-416.

Jam animas Orco detentas consideremus. Primum veniunt infantes vagientea et flentes, quos dulcis vitae exsortes atra dies ab ubere matris

rapuit et acerbo funere mersit. Nesciunt, cur sint nati. Fatum juxta ipsas cunas posuit arcam. Carmen hoc funebre simplicitate sua suavissimum:

•Continuo auditae voces, vagitus et ingens  
Infantiumque animae flentes, in limine primo  
Quos dulcis vitae exsortes et ab ubere raptos  
Abstulit atra dies et funere mersit acerbo». 426-429.

Animadverte spondaeos: «voces, vagitus, flentes»; dactylos: et «ab ubere raptos / abstulit atra dies et funere mersit acerbo».

Deinde veniunt, qui falso olim crimine capitatis damnati fuerant; nunc verum non «sine sorte», non sine judice Minos quaesitor urnam movet et juste judicat «vitas et crimina discens».

Tum veniunt, qui insontes manus sibi intulerunt et vitae perosi animas projecerunt. Quantopere nunc paupertatem et duros perferre labores vellent! Sed fas obstat. Attende: «letum-lucem; projecere-peperere»: 434-439.

Postremo veniunt (440-476) «quos durus amor crudeli tabe peredit» —tragoedia humana totiens repetita—. Ne nunc quidem durus amor eos quiescere sinit, sed curis vexat. Inducit Vergilius in ipso medio libro —450— mira arte Aeneam videntem Didonem infelicem:

•Errabat silva in magna, 450.  
nonne eam membra trahere vides?  
    Infelix Dido...  
    Illa solo fixos oculos aversa tenebat,  
    Nec magis incepto vultum sermone movetur,  
    Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.  
    Tandem corripuit sese atque inimica refugit» .. 469-472.

Quae dicuntur et quae tacentur, poëtam summum demonstrant.

Denique veniunt, qui fortiter pugnando ceciderunt 477-547.

Relinquamus quae subsequuntur et *Tartarum ipsum videamus* 458-627.

Quam sit terribilis locus iste, apertum manifestumque reddit poëta:

•Respicit Aeneas, subito sub rupe sinistra  
Moenia lata videt triplici circumdata muro,  
Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis,  
Tartareus Phlegeton torquetque sonantia saxa». 548 551.

Considera consonantes duras: *r, s, t, c*. Alliterationes: «respicit subito, rupe sinistra, torrentibus Tartarus torquetque, sonantia saxa. Vis, virum, valeat» 553; «sedens- succincta-exsommis, servat» 555; «stridore-ferri-tractaque catenae» 558. Porro discimus, quis sit judex ejusque ministri: Radamanthus rex Cretae, Tisiphone ultrix, agmina sororum Eumenidum 566-579. Qui sint malefactores eorumque poenae Sibylla docet 580-624. Haec quoque libri pars pulcherrima est. Pinguntur poenae damnatorum, qui sola fama erant cogniti: Titanes, qui caelum rescindere sunt aggressi et Jovem de throno deturbare. Salmoneus Jovis fulgor et tonitrum imitatus; Tityon gigas, cui vultus immanis rostro obunco immortale jecur tondet et viscera rimatur cuique nulla datur requies. Ixion et Perithous, super quos saxum perpetuum

casurum pendet. Paratae quidem sunt epulae lautissimmae, sed eas attingere Furiarum maxima prohibet 580-607. Ipse legas velim versus immortales.

Postremo veniunt, qui patriam auro vendiderunt tyranno; qui leges auro condiderunt vel sustulerunt; qui ipsam filiam constupraverunt. Poenae non describuntur, sed tribus versibus qui omnem superant descriptionem referunrur:

• Non mihi si linguae centum sint oraque centum,  
Ferrea vox, omnis scelerum comprehendere formas,  
Omnia poenarum percurrere nomina possim. 625-627.

### ELYSIUM 637-678

Scaenas damnatorum tristes beatorum sequuntur jucundae. Parcus est poëta in pingendo Elysio, non vult legentes imaginum copia fatigare, sed ut ipsi fingere et pingere pergent, inducit. Quare Elysii ejusque incolarum descriptio brevis omnibus legentibus summae fuit et erit admirationi.

• Devenere locos laetos et amoena virecta  
Fortunatorum nemorum sedesque beatas. 638-639.

Animadverte: Fortunatorum nemorum sedesque beatas! Beatorum felicitatem cum non more Christiano posset intellegere, in ludis gymniciis consistere dicit:

• Pars in gramineis exercent membra palaestris  
Contendunt ludo et fulva luctantur arena.  
Pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt. 642-644.

Ut gentes multae olim viros fortissimos una cum armis sepelire consuerant, ita et hic arma, currus, hastae canspiciuntur. Celebrantur ii praesertim, qui ob patriam vulnera accepere, sacerdotes casti, vates, qui Phoebo digna locuti, vitam artibus excoluere, qui aliis bene fecere. Quos omnes vitta nivea cingit 660-664.

### VALLIS LETHAEA 679-887

Haec pars Aeneae descensum finit scaenamque summi ponderis continet: Anchisis orationim sollemnem, qua futuram populi romani sortem vaticinatur 752-887. Suaviter pingitur, quomodo Anchisem patrem tandem videat. Anchises lustrat animas inclusas; sed subito:

• Aeneam, alacris palmas utrasque tetendit  
Effusaeque genis lacrimae et vox excludit ore:  
Venisti tandem tuaque exspectata parenti  
Vicit iter durum pletas? Datur ora tueri,  
Nate, tua et notas audire et reddere voces. 685-689.

Attende spondeos 687. — Noverat pater filium venturum: « Nec mea cura fefellit. » 691. Noverat quanta pericula esset expertus. Metuerat ne Dido noceret. Brevis oratio omnia continet. Breviter quoque Aeneas respondet:

...tua me genitor, tua tristis imago  
Saepius occurrens haec limina tendere adegit.  
...Da jungere dextram,  
Da, genitor, teque amplexu ne subtrahe nostro. 695-698.  
Ter conatus ibi collo dare brachia circum,  
Ter frustra comprensa manus effugit imago. 700-701.

Versus breves, sed arte venustissima. Describuntur porro animae, postquam ab omni labe sunt purgatae, in corpora redibunt, nunc verum ad fluminis Lethaei undas longa oblivia potant. Non possum non notare versus celeberrimos:

•Hunc circum innumerae gentes populique volabant  
Ac velut in pratis ubi apes aestate serena  
Floribus insidunt variis et candida circum  
Lilia funduntur, strepit omnis murmure campus». 705-709.

Nonne audis apes susurrantes: *s-s-s*; frementes: *m-m-m?*

#### SOLLEMNIS ANCHISIS ORATIO 752-886

Est vaticinatio in imperii romani primordia rejecta, temporum praeteritorum laudatio, praesentis aetatis admonitio, qua omnes Romani tot viris illustribus dignos se praebant, futurae testamentum. Compositio est grandis, lingua nobilis, interdum pathetica:

...•Inclita Roma  
Imperium terris, animos aequabit Olympo. 782.  
Augustus Caesar, divi genus, aurea condet. 792.  
Saecula...  
Excudent alii spirantia mollius aera». 847.

Oratio longam virorum, qui condendo, dilatando, restituendo imperio summi fuerant momenti, seriem ante oculos ponit. Inde facile patet, quanto pere poëtae romani coaequales et posteri fuerint commoti.

#### EPILOGUS 847-853

•Excudent alii spirantia mollius aera,  
Cedo equidem, vivos ducent de marmore vultus,  
Orabunt causas mellitus caelique meatus  
Desribent radio et surgentia sidera dicent:  
Tu regere Imperio populos, Romane, memento  
...pacisque imponere morem.  
Parcere subjectis et debellare superbos». 847-853.

Hi versus lucide demonstrant, quam magna et Graecorum et Romanorum cultura et quanta inter utramque discrepancia: «Excudent alii... Tu regere...». Lege, quaeso, lente orationem praeclaram, jam mecum admiraberis imaginem pergrandem, ardore religioso et patrio animatam, majestate romana inflammatam, lumine vitae, quae post hanc est futura, illustratam. Conferas velim duros pristinorum vatuum versus hexametros cum Vergilianis. Quam sunt graves et graciles, flexibles et venusti, quantopere arguento accommodati! Haec omnia solum ex ingenio vere poëtico manare poterant. Perfectio formae et absolutio summa, quam Vergilius industria assidua sibi comparavit, eum omnium temporum vatem classicum reddit, ex quo tot postmodum poëtae didicerunt. Vincit Vergilius religione Homerum. Qui quamvis vir religiosus, tamen deorum reverentia carebat et in eos quasi ludere videtur. Contra Vergilius. Summa deorum rerumque divinarum reverentia. Nonne Aeneae maxime proprium deos Iliacos, quorum praesidio imperium romanum constitueretur, Latio inferre? Nonne aetati quoque nostrae dictum videtur:

•Discite justitiam moniti et non temnere divos». 620. N. MANGEOT, S. J.

P O R T U S  
C A R M E N  
M A T T H A E I P A O L I L L O

in certamine poëtico Hoeufftiano magna laude ornatum

Un port est un séjour charmant pour une âme fatiguée  
des luttes de la vie. Baudelaire - Le spleen de Paris

<p>Quam juvat et varias et mille coloribus aptas me visu nubes, sole cadente, sequi. Chrysolitho flavo radiant et iaspide fulva, hinc amethystus et hinc fulgidus ardet onyx: tum caelum videas violis florere tenellis (a pereunt citius!) staminibusque croci. Velificant placidis aditurae flantibus auris oceani sedes hesperiosque sinus, sed tamen interdum, simul atque cupidine raptae ludendi subita sint studioque joci, inter se impingunt, miscent, dein vellere fracto per sudum passim lanea morsa natant. Sic ea, quae finxit celeri sibi mente puellus, urgent atque sua mobilitate cadunt. Sic illi telam texunt rursusque retexunt aurea mollicula somnia fila manu.</p>	1 5 10 15 20 25
<p>Heus! infuscantur species rerumque colores et tenues, umbra progrediente, labant, dum longe, vergit qua concavus axis in aequor, lux etiam vitrea caerulea pingit acu Hic sedeo, moles ubi salsis innatat undis, pensilibus pedibus luminibusque vagor. Protendit portus sua saxea bracchia tamquam si precibus mutis invocet ipse mare, sed mare dormitat zephyri cantante susurro, spiritus et gravior crispa per alta meat.</p>	1 5 10 15 20 25

# TRADUZIONE

Quanto m' è dolce, al tramontar del sole,	1
Le vaghe nubi rimirar pel cielo,	
Nei mille toni lor trascolorantil!	
Del crisolito d'or hanno la luce	5
E del fulvo diaspro lo splendore.	
Qui l' ametista, lì l' onice brilla:	
E puoi vedere il cielo rifiorire	
Degli stami di croco e di viole,	
(Ahi, di quanto più breve la lor vital!)	
Van veleggiando al soffio d'aure dolci	10
Verso le sedi dell'immenso oceano	
O verso i porti dell'esperia terra;	
Però talora, come se le invada	
Un' improvvisa voglia di giocare,	
Urtansi tra di loro, fanno zuffa,	15
E poi, resciso in mille pezzi il manto,	
Sembrano tanti bioccoli di lana,	
Che sparsi van nuotando per il cielo.	
Tali i pensieri, che improvvisamente	
Sorgono nella mente del fanciullo,	20
Così la tela dei bei sogni d'oro	
Si compone per lui magicamente,	
Per poi disfarsi rapida e leggera.	
Ma ecco che si vanno ottenebrando	
Ahimè, colori e forme delle cose	25
Pallenti al progredir dell'ombre nere,	
Mentre nel punto dove si confondono	
E cielo e mare, un palpito di luce	
Di croco e d'or ricama il tenue azzurro.	
Dove si sporge il muraglion sull'onde	30
Io seggo con le gambe penzoloni,	
Mentre con gli occhi vago tutto intorno.	
Protende il porto le sassose braccia,	
Come se invochi con muta preghiera	
Del mar l'amplesso; ma sonnecchia il mare	35
Dal susurrante zefiro ninnato,	
Ed un più fondo respiro dell'acqua	
Per l'increpata superficie vola.	
 Ora la luce elettrica rischiara	
Della città le tenebre; lontano	40

Lammina purpureo tractu longinqua cruentat  
inque vices pigris usque recedit aquis. 30

Multisono fervet portus clamore crepido:  
hic viles bacas mnemosynumque loci,  
hic laudat fontis medicatae voce liquores:  
itque reditque cito plurima turba pede.

Omnes festinant: videoas quandoque licebit 35  
tum pueros querula voce rogare stipem,  
tum vetulas lenas, nictantes saepe puellas,  
si qui nocte velint aere parare toros.

Ecce gemit tractu plostrum manuale quod undat  
pellitis cistis carpatinisque grave. 40

Viribus intentis sistit nervisque subinde  
in clamans gerulus: «Ne rota crura terat...  
Quid cessas?... cavesis... propere decedite, quaeoso»:  
interea madido sudor in ore fluit.

Major fit motus, strepitus crebrescit et hora, 45  
qua grandis linquat litora navis, adest.

Tota fremit, nigrum fumum volvente camino,  
defigitque oculos orbe nitente suos,  
Argus ut, et punctis stellantibus aequor in umbra,  
luce laccositum, vermiculisque tremit. 50

Jam signo navant operam, redit ancora fundo,  
jam funes alacer solvere nauta porat.

Extremum mandata procul renovantur ituris,  
mixta statim variis interitura sonis.

Ac dum mille vibrant pontis constrata lacertis 55

- Il faro lancia la sua intermittente  
 Fiammante luce, una purpurea lista  
 Ora insanguina l'onda, or si ritira  
 Dall'acqua pigra. L'ampio molo intanto  
 Già tutto si empie di confuse grida. 45  
 Uno a comprar ad alta voce invita  
 Perle false e souvenirs del luogo,  
 Un altro fiaschi d'acqua minerale:  
 E intanto dappertutto è un va e un vieni  
 Di frettolosa folla. E puoi vedere 50  
 Adolescenti che con mesta voce  
 Chiedono l'altrui mercé a ruffiane  
 vecchie e ammiccanti giovinette, intese  
 Ad adescar chi voglia, nella notte,  
 Comprar da lor un'ora di piacere. 55
- Ecco che avanza stridendo un carretto,  
 Che ondeggiava, carco di valigie e borse;  
 Di tanto in tanto con grande tensione  
 Dei suoi nervi e dei muscoli, il facchino  
 Gridando, ferma il suo carretto pieno: 60  
 «Che la ruota la gamba non ti schiaccia!...  
 «Muoviti dunque!... Fate attenzione!...  
 «Presto, per gentilezza, un pò di largo!...».  
 Ed intanto il sudor gli inonda il volto.  
 Il movimento va crescendo, intenso 65  
 Vieppiù si fa il fragore, e si avvicina  
 L'ora in cui de'salpar la grande nave.  
 E' tutta un fremito, e la ciminiera  
 Di nero fumo manda ampie volute,  
 E com'Argo, dall'orbita splendente, 70  
 Figge gli occhi nel mare, che nell'ombra  
 Di punti e luminose vibrazioni  
 Trema, percossa dalla viva luce.  
 Un segnale comanda la manovra;  
 Vien l'àncora dal porto ritirata; 75  
 E si prepara a sciogliere le funi  
 L'agile marinaio. Ognun rinnova  
 Le sue calde preghiere, con parole  
 Destinate a perir subitamente  
 In mezzo a quel frastuono generale. 80  
 E mentre mille braccia sul gran ponte

et dicunt crebro linteal moxa vale,  
 ex ora celebri vasto molimine puppis  
 excedit sensim tracta minore rate.  
 Lenta prius, leviorque dehinc resoluta remulco  
 labitur arva super liberiora maris. 60  
 Interea claris lanternis ostia portus  
 sibila continuans altera navis init.

Sic eadem semper statio, sursumque deorsum  
 assiduum motum, qua sinuatur, habet.  
 Funibus, antemnis, malis glomeratur acutis 65  
 et jactat Chalybum bracchia stricta manu.  
 Aëra nam scandunt, redeunt carchesia rursus  
 ac navis laxa forcipe gluttit onus.

Si spectas lassus certandi vespere portum  
 errandique modum denique lassus aves,  
 nescis quid misere tendant, ut tristior alter 70  
 res velit usque novas, anxius alter opes.  
 Sic sua quemque trahit, quae versat pectora, cura.  
 Sed tu, certandi lasse viaeque, mane.  
 Mox tantus fremitus premitur: nox provida murmur  
 adspirans flatu sopiet omne levi. 75

Haec ego conspicio studio sine cuncta nec ulla  
 immotum cordis commovet aura lacum.  
 Quam juvat et varias et mille coloribus optas  
 in caelo nubes, sole cadente, sequi. 80

MATTHAEUS PAOLILLO

S'agitano, ed i fazzoletti danno  
 A quei che parton l'ultimo saluto,  
 A poco a poco la massiccia nave  
 Dall'affollata sponda si allontana, 85  
 Rimorchiata da un'agil navicella.  
 Lenta dapprima, poi più lenta, sciolta  
 Del tutto alfin dal suo rimorchio, scorre  
 Sulla distesa dell'aperto mare.  
 Ed ecco che, con i fanali accesi, 90  
 Mentre a distesa urla la sirena,  
 Guardinga entra nel porto un'altra nave.  
 Sempre così la rada: in alto, in basso,  
 E' il suo grand'arco in un continuo moto.  
 Di funi, e antenne, ed alberi appuntiti 95  
 Tutto è un groviglio e un agitar le braccia  
 Dalle mani dei Calibi forgiate.  
 Salgon le gru, riscendono, e la nave  
 Il tutto inghiotte nel capace grembo.  
 Se dalla lotta oppresso, osservi a sera 100  
 Il porto, e stanco di vagabondare  
 Hai brama alfin di un poco di riposo,  
 Non sai perchè con affannosa lena  
 Facciano tanti sforzi, insoddisfatto  
 A cercar l'uno sempre nuove cose, 105  
 Ansiosamente l'altro le ricchezze.  
 Così ciascun trascina la sua pena  
 Che gli tormenta l'anima. Tu stanco  
 Di lottar e d'andar, ti prego, aspetta.  
 Tra breve cesserà tanto agitarsi: 110  
 Chè sopirà col suo lieve fiato  
 Ogni rumore, provvida, la notte.  
 Senza curiosità tutto ciò guardo  
 Dal mio sito, nè alcun' aura di vento  
 L'immobil lago del mio core turba. 115  
 Quanto m'è dolce, al tramontar del sole,  
 Le vaghe nubi rimirar pel cielo,  
 Nei mille toni lor trascoloranti...

Monte Poro 16 - 20 agosto 1959

*tradusse*

FRANCESCO ALOISE

# DE GALENO PERGAMENO

(129 . c. 205)

Galenus medicus tam diu laudabitur, quamdiu scientia medicae artis exstet. Quam ob rem de Galeni vita et virtutibus nonnulla narrare juvat; qui quidem permulta de se in tot scriptis commemorat, et imprimis duobus libris plurima opera a se composita recenset, quibus etiam vitam quodam modo delineavit.

Breviter Galeni vitam secundum vitae annos indicavit Prosopographia imperii Romani, quam edidit Arturus Stein (pars IV fasc. 1, Berolini 1952, pg. 4-6); praeterea cf. *Galenos* n. 2 in RE (PAULY-WISSOWA) vol. 7 pars 1 col. 578-591, de quo scripsit J. Mewaldt. Georgius Misch in opere *Geschichte der Autobiographie* de Galeno unam tantum sententiam protulit, quamquam Galenus ipse mille fere sententias de se enuntiavit; suspicari igitur licet, Misch Galeni scripta prorsus non legisse et ideo illud unum dictum quod est apud Misch omni auctoritate carere.

Galenus in urbe Pergamo (Asiae Minoris) aestate 129 p. Chr. n. natus est. Ipse saepius loquitur de «nostra Asia».

Pater ejus Nicon appellabatur; fuit architectus et in familiis nobilitus ac divitibus numerabatur; aedificia construxit, ex quibus magna lucra sibi comparare potuit iisque filius per totam vitam frui. Nicon variis litteris excultus septem artes liberales didicisse videtur; carmina quoque fecit; in collegio sacerdotum fuit, unde intellegitur filium postea medicum gladiatorium a pontificibus creari potuisse; pater architectus tres partes architecturae novisse videtur:

1. artem aedificandi vel aedificationem ipsam, quam Galenus saepius exempli causa affert;

2. gnomicam, qua horologia construuntur, qualia horologia etiam Niconem fecisse certum est; clepsydras quoque fecerat, quas Galenus diligenter descripsit (cf: H. SAUPPE, *Ausgewahlte Schriften*, pg. 476);

3. mechanicam, id est machinationem;

ex his patris considerationibus et computationibus etiam filius multa ad medicinan utilia percipere potuit.

Galeni pater modestus fuit (5, 17); idemque magna diligentia linguam puram graecam adhibuit (8, 587); regulis moribusque Graecorum filium educavit et docuit (8, 857).

Nicon socius collegii sacerdotum templis aedificandis interfuit, maxime templo Asclepii Pergameni; ipse Asclepium venerabatur, et filius Niconis per totam vitam Jovis Asclepii divinitatem coluit.

Mater Galeni, cuius nomen non traditur, tamen propter saevitiam Xanthippa Pergamena notanda est; nam ancillas mordebat et iracunda semper litigabat; ratione hujus feminae rixosae habita pater filium «Galenum» (=hominem lenem) nominabat; nihil secius Galenus quoque magnam naturae litigiosae partem a matre hereditate suscepit; ut pater multa scientia ornatus fuit, ita filius maxima industria omnibus litteris illius temporis vacavit; jam puer quindecim annorum ad artem logicae incubuit; pater magistros quattuor clarissimarum scholarum philosophiae elegit iisque filium docendum tradidit; Galenus omnes magnas illas sectas philosophiae quattuor cognovit, ex quibus doctrinam Platonis et Aristotelis propter utriusque auctoritatem praetulit; sed in arte logicae doctrinam Peripateticorum et Stoicorum secutus est. Platonem tam saepe fere laudat quam Aristotelem, utrumque autem multo crebrius quam alios philosophos; adulescens dicta aurea Pythagorae didicit et cotidie in memoriam revocavit («De dignoscendis animi affectibus», pg. 358).

Id quod Nicon, pater Galeni, studiis litterarum olim occupatus assecutus non erat, ejus voluntati et consiliis obsecutus filius obtinuit omnesque scientias sibi comparavit. Qui multo prius quam aequales pueri Pergamini fundamenta litterarum cognovit, quia e familia divite oriundus aliorum hominum doctissimorum collegarumque patris consuetudine utebatur et maxime a patre ipso honorum cupido apte ad finem gloriae est institutus; annos quindecim natus disciplinae logicae studere coepit (19, 59); ad hanc philosophiae partem maxime se contulit dum reliquas sapientiae partes minus respicit. A pueritia tanta cupiditate discendi et legendi affectus erat, ut quam primum etiam impetu quodam scribendi excitaretur; quo factum est ut quingenta prope scripta in lucem ederet; juvenis multa et longinqua itinera studiorum causa ideo facere potuit, quod magnam rem familiarem possidebat; quae itinera patre mortuo subiit; circa annum 150 Pergami versatus est, cum Nicon pater e vita cessit, cuius domum filius numquam patre vivo reliquit; tum unum et viginti annos natus erat. Somnio patris a studio philosophiae ad medicinae artem commotus est (10, 609. 14, 608. 16, 223. 19, 59.); a philosophia vero, quam primo in animum recuperat, numquam destitit. Cum Cicero solum studio litterarum graecarum diligentissimo tam amplam accepit eruditioinem, Galenus nihil aliud nisi litteras graecas ingenter auctas legit neque aliam linguam neque latinam didicit. Galenus ab adulescentia se hoc propositum secutum esse affirmat: in suis libris solum suas disquisitiones neque ullas aliorum virorum tradere (2, 659). Illum bibliotheca amplissima atque celeberrima Pergamena frequenter usum esse verisimile est et puerum et iis temporibus, quibus medicus gladiatorium in patria fuit. Galeni eruditio septem artibus liberalibus conformata est; trivium didicit: *grammaticam*, ad quam ejus lexica et disputationes philologae et permulti Homeri versus pertinent; *rhetoricam*, cuius artis vocabula critica Galenus saepe in Hippocra-

tis aliorumque medicorum operibus judicandis adhibet; *musicam*, quae ad sanandos animos aliquid valet, sed apud Galenum satis raro invenitur. Quadrivium bene novit: *arithmeticam* a patre acceptam, *geometriam*, ad quam Euclidis elementa spectant a Galeno laudata; *astronomiam*, qua kalendarium et cursus morborum definiri solebat; *dialecticam*, ad quam scripta multa composuit. Gajum ducem philosophiae Platonicum Pergamenum nobilem descripsit, ut ex Gaji figura eae virtutes eminerent, quas Galenus ipse possidere voluit: Gajus fuit justus, pecuniae non appetens; facile quivis eum adire poterat; nam lenis et clemens erat. Galenus anno 151 Smyrnam ad Albinum, philosophum Platonicum, discipulum Gaji philosophi, se contulit. Minus bona valetudine usque ad vitae annum duodetricesimum usus est (6, 756). Hos philosophos, quorum consuetudine Romae utebatur, enumerat:

Alexander; Caecilianus (11, 359); Claudius Severus (consul a. 163). Eudemus. Flavius Boethus (consul). Glaucon (8, 361). Galeni opinio de logica clarior fuit ex inscriptione hujus libri, qui vocatur: ὅτι ἡ γεωμετρικὴ ἀναλυτικὴ ἀμείνων τῆς τῶν Στοιχῶν, methodus mathematica melior est quam Stoicorum logica. In parva institutione logicae (ed. Carolus KAIBFLEISCH, Lipsiae 1896, Teubneriana) cap. 13 categorias Aristotelis attulit, quas commentariis philosophorum Adrasti et Aspasii usus ipse interpretatus est; novam categoriam «compositionis» induxit, quae in medicamentis comprehendendis et domibus construendis semper manifesta est; tam saepe contra sophistas veritatem commemorat finemque omnis disputationis constituit, ut ipse honoris causa defensor veritatis nominari possit; qua in re Platonem sectatus est. Galeno veritas et justitia cordi erant, eique placuit «vir prudens et intellegens» (σοφεῖς ἀνήρ). Res observans easque cogitans maxime evidentiae (= «enargeias») rationem habuit. Romae studia philosophiae cum medicinae medendi libris prosecutus est; ibi Eudemo doctore Peripateticae disciplinae utebatur, quem 62 annos natum sanavit (14, 621); ipse Pergamenus omnino non est philosophus genuinus; nam solum ea cogitata reddit quae a praceptoribus didicit; nimis enim adulescens erat ut propria cogitata ex se gigneret; erat immaturus discipulus philosophorum; cum autem adolevisset, jam ad medicinae studium se convertit neque philosophiae totum se dare potuit, solummodo introductionem quandam in philosophiam accepit et logicam, primam philosophiae partem et portam ejus funditus cognovit, quapropter maxime de hac dialecticae vel logicae disciplina loquitur; sed etiam cosmologiae et ethicae rudimenta concepit; minus de anima institutus videtur esse; minime in metaphysicam incubuit; id quod Galenus de vita communi docet, ex rerum et hominum usu et ab aliis hominibus privatis et e proverbiis didicit, ut sententiae illius medici tamquam speculum eruditioonis et culturae temporum Galeni haberí possint; de natura animae numquam certam definitionem dedit, quamquam circiter mille locis eam commemorat neque Platonis neque Aristotelis opinionem sequens (4, 700). In rebus

astronomiae Hipparcho Nicaeensi (c. 150 a. Chr. n.) nisus est (18 B 240); astronomia enim calendario tempori morborum indicando erat. Galenus satis juvenis a studiis philosophiae, anatomiae, physiologiae profectus ad pathologiam et therapiam magis magisque se convertit; si prius arti medicae studuissest, haud facile ad philosophiam se convertisset; cujus haec sunt verba: «Ab adolescentia philosophiae studui; postea cum medicinae operam dare coepisse, a voluptatibus abstinui et res mundi contempsi, quae appeti solent; recusavi mane ad portas divitum currere, cum istis hominibus equo vehi, ad portas regum exspectare et cum iisdem in eorum aedes me conferre eosque semper comitari; tempus meum non prodigus effudi neque me intellectum feci adiens homines divites, quae actio «salutatio» dicitur; immo studui totum tempus meum ad medicinam exercendam et ad considerandam cogitandamque artem medendi consumere; perpetuo noctes meas thesauris vigilavi, quos antiqui nobis reliquerunt; quis gloriari potest se ita, ut ego feci, egisse? ad quod accessit genuinum acumen ingenii et intellectus velox, quo mihi contigit, ut ingentem scientiae materiam in me recipere».

Corinthi Numesianum medicum anatomicum audivit, quem etiam Alexandriam et in alias urbes secutus est (2, 217); optime artem anatomiae ab hoc magistro Numesiano didicit, qua nisus multas et difficiles curationes miro modo perfecit. Anatomiam in cadaveribus simiarum ostendebat, quae antequam praepararentur, aqua mergebantur (2, 233). Anno 159 Pergami medicus gladiatorum creatus et quinques continuo a pontificibus Pergamentis ad hoc munus vocatus est; anno 164 Romam profectus paulo post ibi ita gloriabatur: *καὶ μέγα ἦν τούνομα Γαληνοῦ «et magnum erat nomen Galeni»;* etiam haec confessus est: «Nulla dies praeterit, quin exempla artificii mei ostendam... plerique medici, qui facultatem meam mixturas faciendi observant, nesciunt, ubi praecepta ad talia medicamenta componenda scripta sint; curas meas ne imitari quidem possunt; propterea nonnulli medici me paradoxoipoion et paradoxologon nominaverunt. Pecuniam peto neque ab ullo discipulorum meorum neque ab hominibus aegrotis, quos curo; quin etiam aegrotis, quotiescumque egeni sunt, non modo medicamenta, potiones, uncta et similia gratis offero, sed etiam servos mitto, qui illis provideant et adsint, si auxilio carent, ac praeterea eis cibum necessarium parari jubeo. Amicitias cum multis medicis inii, qui me consuluerunt, et numerosos alios nonnullis principibus commendavi neque ab ullo corruptus neque donatus sum; immo illis medicis instrumenta et medicamenta dono dare solebam, quibus egebant, atque aliquibus medicis etiam pecunias ad munus medendi gerendum necessarias largitus sum». Non ignoravit Athenas auctoritate politica prorsus carere solamque Romam rerum potitam epitomen oecumene esse, quapropter ad imperatores romanos contendit. Athenas commemorat (7, 290) imprimitis propter illam pestem bello Peloponnesiaco ibi exortam; alias haec urbs Galeni animum nullo modo affecisse videtur, maxime quia

nulla schola medicinae Athenis exstitit. Romae aliquamdiu medicus etiam Imperatoris Marci Aurelii ejusque filii Commodi imperatoris fuit; Marco quidem Aurelio cotidianam potionem (antidotum) mandavit ut biberet siccum theriacum, quod sine aqua et sine vino, mixtum suco papaveris bibitur (14, 3); idem theriacum homines divites Romae habitantes ex imperatoris apotheca (14, 24) emerunt, morem imperatoris secuti; theriacum urginea maritima (= «specie scillae») compositum erat, qua cor et vesica incitari solet; multas observationes de medicis aequalibus fecit; de moribus medicorum scripsit; vitam et gestus medicorum aegrotos adeuntium tractavit; corporis munditiam, unguis digitorum, gestum corporis in sedendo, modum colloquendi cum aegrotis (18 B 697.708), vestimentum medici (18 B 692) respexit; ex his rebus jure Galeni ipsius mos vivendi concludi potest: eruditum, loquacem, humanum, bene vestitum et cultum, jucunde colloquentem cum aegrotis, et aptissime eos tractantem se praebuisse semper patet; naturam optimam vim medendi constituit his verbis: «natura omnia artificiale et juste agit» (2, 29); dicere solebat: φύσις οὐδὲν μάτην (= «natura nihil frustra»); magnas copias materiarum pharmacologicarum e fodiinis insulae Cypri apud oppidum Solos ad amicos Asianos et inde Romam transportavit (12, 214-238); bis Lemnum insulam propter terram sigillatam (12, 169) adiit; multitudine scientiae suae animos auditorum et hominum aegrorum maxime movere cupivit; saepius Demiurgum, creatorem mundi, laudat, quia ipse religione affectus magna erat, a patre sacerdotii Pergameni socio ita educatus; etiam medicus est, ut ait Hippocrates *«De prisca medicina»*, 1 (pg. 1, 17 KUEHLEWEIN), unus e demigregis; quapropter Galenus quoque se in demigregis numerat, quod conscientiam apostoli medicinae habet. Galenus scripsit *«De sollicitudine avertenda»* (περὶ ἀλυπίας), ubi haec narravit in magnis horreis, quae in urbe Roma Imperatoris erant, multos libros et instrumenta magni pretii incendio templi Pacis anno 192 sibi deleta esse; ibique nonnulla manuscripta (antigrapha) erant operum Aristotelis, Anaxagorae, Andromachi, quorum verba Galenus monitu doctorum amicorum et eorum virorum emendaverat, qui Platonis auctoritate nituntur; atque etiam itinera ad urbes longinquas subierat, ut pleraque manuscripta corrigeret; inter eos libros hoc incendio perditos multa scripta erant, quae ipse composuerat neque antigraphis servaverat; quae in libro *«De sollicitudine avertenda»*, multis verbis enumeravit; inter eos libros qui incendio anno 192 perierunt, libri pretiosissimi albo panno serico marginis nigrae involuti erant, quibus magnas pecunias, pependerat. Galenus plus quam 250 opera scripsit, quae ad philosophiam vel ad philologiam pertinent, et circiter 150 scripta, quibus materia medica tractatur; falsariis scriptis personati Galeni divenditis rem familiarem sibi comparare cupiebant; nonnumquam Galeno ipsi contigit ut talia scripta detegeret et deleret; unde elucet Galenum auctorem medicinae notissimum fuisse; ille Pergamenus ingentem librorum multitudinem, ut suspicor, perle-

git; ut autem tantam materiam scientiae libris mandaret, servis ei opus erat quibus notas dictabat et qui celerrime atque breviationibus adhibitis scribebant; stenographi et tachygraphi nominabantur (14, 630 et 19, 14); scripta sua divisit in duas partes: altera opuscula tamquam interna amicis tribuebantur, altera communi editioni ad vulgus extra dabantur.

Denique nonnullas res singulas Galeni vitae aggrediamur. Per multis operibus de philosophia et medicina clarus a pluribus scriptoribus magni aestimatus est:

Alexander Aphrodisiensis (c. 200 p. Chr. n.) Galenus juxta Platonem et Aristotelem posuit.

Athenaeus Naucratites Galenum maxime philologum ad convivium doctorum aggregavit (cf. *Deipnosophistae* vol. 1 pg. 3, 11 KAIBEL).

Simplicius (c. 500-560 p. Chr. n.) Galenum virum summae scientiae et maximum philologum laudavit in commentario ad Aristotelis opus *quod Physica* inscribitur (pg. 718, 13 et 1039, 13 DIELS).

Galenum jam cum Aristotele comparare cunctanter quidem conamur solum hac de causa, quod uterque plurima scripsit et medicinae rationem habuit; maxime autem ad haec singula convertamur: uterque divitiis rei familiaris adjutus non rebus publicis, sed artibus liberalibus sese dedit; litteris variis copiosissimus fuit, lector librorum non defessus, disciplinae logicae valde diligens, artis empiricae fautor, editionibus operum scientificorum praestans, gloriam immortalem sibi comparavit; Aristoteles sagacitate Galenum superavit; severe quidem et constanter et alacriter proposita persecutus est, cum Pergamenus lassiore modo cum multis digressionibus rem tractaret; philosophus ille brevioribus sententiis utitur, ut saepius non plane intelligatur; Galenus autem longitudine dictionis lectori molestus fieri potest, quamquam puriore graecitate quam Stagirita excellit; Aristoteles profundissime rerum causas exploravit, id quod ille Asianus non fecit, qui res ita ut sunt accepit; propterea Galenus tam saepe evidentiam rei laudat, quia eam probare nequit; uterque demonstrationibus favebat; Platonis discipulus semper sui compos et genuina mente agens novos fines assecutus est, cum Pergamenus vestigia Hippocratis fidelissime premens doctrinam medicinae non proficeret nisi anatomiam maxime colendo; uterque autem physica coluit; Aristoteles commentarios ad aliorum scriptorum opera non scripsit; Galenus contra multa commentaria ad Hippocratem composuit; uterque religioni nationali adhaesit; Stagirita scholam philosophorum Peripati fundavit, Pergamenus tamen saepissime de schola loquens nullam scholam medicorum condidit; quamquam quingenti anni inter hos duos scriptores intercesserunt, nihil secius in multis litterarum res uterque convenisse videtur.

Galenus rebus hujus mundi visibilibus fisus doctrinam et usum medicinae in Aristotelis studiis fundatum adhibuit; haec enim schola res adspexit, inquisivit, judicavit ita, ut se re vera habent; quaestiones naturales Peripa-

teticorum medicinae utilissimae fuerunt; Plato magis propter traditionem operum clarorum Galeno notissimus erat, cum doctrina Platoniorum saltem medicinae paene nihil prodesse posset; maximam antiquitatis notitiam ille medicus habuit; ostendit scientiam encyclopaediae secundo p. Chr. n. saeculo renatae; quae encyclopaedia in ejus scriptis magni momenti est; eodem modo ac Lucianus, ut exemplum afferam, omnes litteras cognoscere et philosophorum sententias discere cupivit; tunc enim temporis multi juvenes hunc universum cultum ingenii sibi comparare consueverant; etiam Celsus, Luciani amicus atque Galeni aequalis, qui «Adversus Christianos» scripsit, eandem eruditionem philosophiae levem sibi comparavit. De Christianis ita Galenus judicat: «Christianis opus est parabolis, ut credant» (cf. R. WALZER: *Galen On Jews and Christians*. Oxford 1949, pg. 15). Aristides sophista, aequalis Galeni, natus in Asia Minore, Christianis maledixit (in oratione «Pro Quattuor»...); etiam Galenus et Lucianus Christianos illuserunt; opera aliorum judicans distinguit inter ἐρμηνείαν (elocutionem) et θεωρίαν (doctrinam); cum sententias et doctrinas exponebat, maxima dicendi virtuti perspicuitatis operam dabat; Galeni modus scribendi continet longas sententias, quibus lector fatigatur; illius sermo neque jucundus neque asper invenitur; ut scriptor languidus ita orator quoque verbosus fuisse habendus est, qui vehementia quadam et aggrediendi cupiditate homines retinuit; quamquam omnibus vocabulis linguae purae Atticae summa industria studuit, tamen elocutionem dilucidam aegre assecutus est etsi in arte rhetorica excultus videtur esse; omnes libros, quos possidebat, custodiri jussit in templo Pacis atque e suis libris ibi ipse lectiones ante multos auditores habuit; porro ex tot libris, quos Pergamenus ipse composuit, concludendum est eum multis litteris summopere doctum fuisse: Galenus fuit litteratissimus medicus antiquitatis; sine dubio aptus fuisset bibliothecarius in bibliotheca Alexandriae maxima; sed propensior ad vitam actuosam inclinavit atque etiam in superbami ostentationem multiformis sua scientiae; nullus scriptor antiquus tam crebro de institutione puerorum et tironum locutus est quam Galenus, qui magna voluptate et cupiditate adulescentes in artem medicinae et logicae inducebat; dicebat enim «educatio juventutis cum diligentia cultura plantarum comparanda est» (16, 323); itaque veritus non est easdem sententias et doctrinas plures eodem modo repetere (16, 250) et res utilissimas eadem ratione proferre (16, 259); sed scholam non condidit, quamquam tironibus medicinae nonnulla scripta «introductoria» composuit; quia homo tam liberalis erat, juvenum medicorum formam diu excolere nolebat. Galenus erat vir quoque ditissimus, id quod patet ex hisce rebus:

1. magnas copias terrae sigillatae, quae ad triginta annos valebant, emit;
2. multa medicamenta e regionibus orientalibus sibi paravit;
3. homines aegrotos pecunia adjuvit.

4. medicis pauperibus instrumenta donavit;
5. permultos libros scripsit, quorum chartae magno pretio constabant;
6. libros suos in templo Pacis collocatos materia alborum sericorum ligari jussit, et omnino prolixitate nimia scribendi usus est, quia chartis parcere ut vir copiosissimus et fortunatissimus non debebat; medendo non pecuniam, sed gloriam tantum sibi acquisivit; medicus et scriptor vitae actusae tantum adhaesit, non speculativae operam dedit; ad res profunde contemplandas ei quies defuit; et semper in motibus et operationibus fuit.

Cotidie bonum theriacum imperatori Marco Aurelio fecit (14, 24); etiam imperator Septimius Severus cotidie hoc theriaco usus est (14, 65); Pergamenus erat quasi amicus imperatoris Marci Aurelii (14, 647); nam maxima litterarum eruditione et amplis divitiis ornatus ad aulam principis accedere facile poterat; quadraginta annos natus bonae valetudinis famaque medici admirabilis et philosophi jam notissimus animum imperatoris Marci Aurelii etiam philosophantis magnopere affecit, ut imperator Stoicus Galenum ita alloqueretur: «Tu es unicus philosophus temporis mei»; homo religiosus erat et deum Asclepium colebat; (etiam Marcus Aurelius eundem Asclepium veneratus est; cf. imperatoris librum «in semetipsum» 5, 8); medicus fuit eo tempore imperii romani, quo id maximam possidebat extensionem et optime florebat; sed etiam erat tum ea aetas, cum nullum ingenium philosophicum nullusque poëta per orbem terrae egregia gloria percrebuit; immo erat tempus commentandi scriptores antiquos, erat aetas intellectu ruminandi. Romae dimidium fere vitae tempus Galenus degit; hanc ob rem, quod in Urbe Aeterna tot annos vivebat atque litteris et medicinae operam dabat, gloriam quoque aeternam sibi comparavit. Vita Galeni quamquam litibus, simultibus, altercationibus, insidiis, turbationibus animi abundavit, tamen cum magnitudine quadam animi corporibus hominum sanandis medicus adfuit; etsi porro ipse non omnibus rationibus perfectus erat, nihilo secius viribus suis ad salutem aliorum, quantum ipse poterat, usus est et persaepe sospitator vitarum exstitit.

AEMILIUS [EMIL] ORTH

# Plura de latina lingua inter doctos communi

In PALAESTRA LATINA n. 168 Reverendissimus J. Jiménez Delgado, de «Latina lingua inter doctos homines communi» maxima auctoritate scribens, rem acu tetigit. Ei omnino assentior neque vel minimum contradicere velim. Sunt autem quae vel amplificanda vel addenda esse videantur.

Sub titulo «De Rei Momento», pag. 190, 1 scribit: «in eo (congressu Lugdunensi) viros et feminas audivimus latine loquentes qui Avennione latine loqui vix audebant».

Recte. Ipse id animadvertisi et gaudebam non modo quod mihi maxime placebat latine loquentes audire, sed quod multi et irrisores et fautores, actis prioris congressus editis, rogabant cur, tam multi, si linguam vivam promovere vellent, linguis hodiernis locuti essent. Hic fortasse haec narrare licebit: cum nostra «Societas latine loquentium» conderetur omnes ad primam cenan vocati circum mensam oculis in obtutu patellarum defixis sedebant muti. Hi plerumque litterarum doctores neque artis scribendi ignari nunquam antea locuti erant. Subito quidam sermonis latini studiosissimus, qui tamen modo loquebatur quo nemo unquam antea locutus erat, ne tum quidem cum homines in Francogallia lingua romana rusticana balbutiebant, victo silentio prorupit. Omnes attoniti auscultare, tum ut si sibi quisque diceret: «si is loqui audet, ego certe audeo», garrire cooperunt.

Omnes infantes prius repunt quam ambulant; prius balbutiunt quam loquuntur neque os perflicant.

Nos autem, cum simus adulti, ubi primum nova lingua uti incipimus, praे sermonis peritis in loco sumus infantium neque est cur propter imperitiam vel inscientiam erubescamus. Quod tam multi in Congressu Lugdunensi haesitationem deposuerant, laudibus erant digni.

Nihil autem majorem efficit haesitationem quam ignoratio locutionum cotidianarum. Adde quod necesse est ut in primoribus labris sit copia verborum. Si quis omne verbum e memoria effodit neque locutionum cotidianarum compos est, is utique in luto haeret. Si qui discipulus dicit: «Oh, yes *equus means horse*», ei respondeo: «neque *equus* neque *cheval* neque *caballo* neque *pferd* significat *horse*; haec omnia vocabula idem animal indicant quod nos anglice loquentes *horse* vocamus. Tuum est efficere ut eadem imago in mentem, vocabulo vel *equus* vel *caballo* vel *horse* auditio, statim irrumpat. Praeterea pensa assignata primum non in anglicum convertendo sed latine

legito; deinde quod doctores scire necesse est te locum intellegere, in anglicum convertito; denique locum latine tertiano et te omnia latine intellegere cogito». Qui hoc fecere, maxime profecerunt. Moneo ut, dum hue illuc ambulant, nomina earum rerum, quas forte conspexerint, ut arborum, animantium aliarumque rerum innumerabilium exquirant et secum de his rebus latine loquantur; sic enim enasci facundiam quandam.

At maxime opus est glossario «locutionum cotidianarum», unde discantur modi salutandi, valedicendi, gratias agendi et alia id genus multa, namque hae locutiones ad facundiam alendam necessariae ex ingenio nativo cuiusvis linguae indoleque enatae sunt neque ab alienigenis excogitari possunt.

Ne plura, ad facundiam opus est copia verborum ac locutionum cotidianarum quae in primoribus labris esse oportet, e. g. si pro convolvulo tabaceo sive hispanica oblata et accepta his verbis gratiae agantur: «gratias tibi ago maximas», ridiculum!, namque extra modum aguntur, proinde quasi francogallice dicatur: *je vous remercie de tout coeur*, pro *merci*; aut germanice: *herzlichsten Dank*, pro *ich danke*; anglie: *heartfelt thanks*, pro *oh, thanks!* Potius dicatur: «benigne»! Eodem quoque vocabulo dicere te nolle accipere licet, umeris fortasse elevatis, ut Francogalli et Germani. Tamen si quid mirifici donatur, tum: «immortales ago tibi gratias agamque, dum vivam». (Cic. *Epist.* 10, 11, 1).

Ne pluribus, ut discipulis nostra lingua viva ad confabulandum utilis habilisque esse videatur, proinde atque in linguis hodiernis docendis hae locutiones expromantur et menti discipulorum a principio inculcentur oportet.

At sub eodem titulo, (pag. 192, 2) ipse scribit P. Jiménez, C. M. F.. «at linguae latinae perfecta cognitio quam difficilis sit, quis non videt». Tot verborum variae formae, tam implicata verborum conjunctio et ordinatio».

Addidit haec verba clari Hamleti Tondini: ...«numquid eis gentibus qui anglica lingua loquuntur difficilius putandum est lexicon linguae latinae quam lexicon cuiusvis e slavonicis vel germanicis linguis?».

At quod ad illam perfectam cognitionem linguae latinae pertinet! Certe difficilis est. Atqui num difficilior sit quam perfecta cognitio cuiusvis linguae hodiernae, dubitari mea quidem opinione potest. Ipse qui non modo linguae latinae sed etiam francogallica, italicae, germanicae, norvergicae, polonicae studui, non dubito dicere latinam non esse difficiliorem. Nulla lingua est anglica difficilior, si quis eleganter vel loqui vel scribere avet. Sin autem quis se intelligibilem reddere vult, nulla fortasse facilior. Cur? fortasse quod tot advenae ad nostras oras rudimentis linguae vix instituti veniunt ut eos balbutientes intellegere consuerimus. Rarae utique aves sunt si qui eleganter anglie loqui sciant. Quotus enim quisque est vel advenarum vel indigenarum qui quavis lingua hodierna eleganter loquatur. Quae cum ita sint, cur ab eis qui lingua latina loquantur, dummodo intelligibiles sint, cum

haec mea quidem sententia non sit aliis difficilior, plus postulemus quam ab eis qui linguis hodiernis loquuntur? Certo scio eam polonica facilorem esse et sine dubio russica quae est polonicae cognata. Pluribus enim casibus polonica munitur quam latina et verbum quod pluribus conjugationibus utitur et aspectibus qui dicuntur et in praeterito etiam generibus masculino, feminino, neutro construitur, carere omni ratione ordineque videtur. Lexicon quoque, id quod reverendissimum Delgado non praeterit, difficillimum est, quia non in vocabulis polonicis inest ulla cum anglicis aut latinis similitudo. Atqui adulescentibus jam nunc suadetur ut in studium linguae russicae incumbant, quos credo in linguis slavonicis addiscendis non bene proficere posse, nisi qui latina prius erudití sint, sive qui latine bene erudití sint, multo citius esse profecturos. Experto credite, quod nonnullos vidi grammaticam polonicam intellegere conari, qui latinitatis omnino expertes erant. Ceterum nemo dubitat adulescentibus, dum simul harum linguarum silet difficultates et linguae latinae objectat, suadere sive imperare ut in russicam vel alias incumbant.

Quae cum ita sint, quanquam nolo discipulos a schola dimitti latine vitiouse vel inquinante loquentes (cf. id quod CICERO in cap. 37 *Bruti* dicit) neque inficiari possumus perfectam linguae latinae cognitionem difficilem esse, ne his difficultatibus nimis tribuamus ponderis, monere velim, veritus ne adulescentes pavidi a studio linguae latinae aversentur et in studium russicae multo difficilioris impellantur inscii.

Quod ad lexicon latinum attinet, eis qui angllice loquuntur, non est cur hoc nimis difficile sit, siquidem vel duae vel tres partes anglici ex vocibus latinis constant.

GOODWIN B. BEACH — BONAMICUS ACTENSIS

# NOVA ET VETERA

## LUDUS LITTERARIUS — SCHOLA \*

1. Joannes Gundisalvius Josephum filium cottidie in scholam ire jubet. Et Josephus primo mane e lecto surgit, preces matutinas pie fundit<sup>1</sup>, seque signo crucis munit<sup>2</sup>, parentibus faustum felicemque precatur diem<sup>3</sup>, pensum a magistro datum<sup>4</sup> parumper memoria repetit, instrumenta scholastica parat<sup>5</sup>, jentaculum sumit; deinde capsulam scholasticam<sup>6</sup> accipit eamque dextra defert, aut —ut Paulus, optimus amicus, quicum saepe in scholam

1. PRECES MATUTINAS FUNDIT [*reza las oraciones de la mañana*]: ex optimis scriptoribus dicere quoque potes: «preces Deo adhibere, precibus matutinis Deum deprecari, venerari, precibus Deum orare; precationem matutinam ad Deum facere; precatione matutina uti», cet. —Locutionem vero «preces recitare» apud **scriptores ecclesiasticos** scriptam leges; «Orationes in conspectu Del recitatae» (*Tob.*, 3, 25). Sed *recitare* proprie «de scrip*to* legere» significat.

2. SEQUE SIGNO CRUCIS MUNIT [*se signa, hace la señal de la cruz*]: christianum ritum ita bene latine exprimes: «signum crucis (in fronte) format, effingit; cruce se signat; signum crucis (in fronte, in ore, in pectore) imprimit, dicit», cet.

3. PARENTIBUS FAUSTUM FELICEMQUE PRECATUR DIEM [*da los buenos días a sus padres*]: Erasmus, Vives, Wagner, Fornari has quoque afferunt locutiones: «precatur: ut felix sit hujus diei exortus; ut prosper sit hic dies; ut candidus hic dies illuxerit; ut salvi sint parentes; salvos esse; salutem parentibus impertire dicit; jubet parentes salvare; jubet parentes salvos esse; salutem parentibus dicere jubet; parentes salvos esse vult». «Augurari vero fau-


tum diem» hoc loco minus ad latinitatem accedere videtur, augurari enim est «augurium ago et eo futura praedico, aut futura praedico, conficio, omnino, existimo, judico» (cfr. FORCELLINIUM, s. v.).

4. PENSUM A MAGISTRO DATUM [*el deber puesto por el Sr. Maestro*]: pensum proprie significat lanae pondus quod mulieri certo tempore faciendum traditur, et per translationem pensum est 'officium, munus quod quis absolvere debet', et bene latine dicimus: «accurare, dare, absolvere, confidere, exigere pensum».

5. INSTRUMENTA SCHOLASTICA [*enseres de la escuela, útiles escolares*]: instrumentum latiore sensu de multis dicitur, in his de omni substdio vel praesstdio ad aliquam rem faciendam; *arma* quoque *scholastica* adhibere potes: «Translate arma dicuntur ea omnia quibus utimur vel ad munitendum, vel ad laeden-dum, seu quibus ntimur et quorum fiducia aliquid agimus» (cfr. FORCELLINIUM, s. v.). —Pontanus, Van Torre, Lud. Vives alioque et *arma* et *instrumenta scholastica* in Collquitis usurpant

6. CAPSULAM SCHOLASTICAM [*cartera, bolsa, cartapacio*]: capsula est 'parva caps*a* ad libros et chartas reponendas', et caps*a*: 'arca, cista,

\* Haec lucubratiuncula decem abhinc annos in lucem in hisce commentarisi prodit. nunc autem nonnullis retractatis locis et aptioribus verbis propositis iterum editur et que notulae, quibus verba explicantur, sub*junguntur*.



clavia magnis globis electricis<sup>9</sup> aut tubulis fluorescentibus<sup>10</sup> collucent. In fronte scholae signum nationale<sup>11</sup> prostat, quod pueri, statuto ordine in area congregati, saepe extenta manu de more salutant.

3. Alumni in area, quae ad scholae aedificium est, ludere solent; et alii trochum<sup>12</sup> agitantes decurrunt, quem, ne in alios velociore impulsu

et

scrinum ex ligno vel metallo aliquo, in quo praecipue libri et tabulae et litterae reponabantur' (cfr. FORCELLINIUM, s. v.).

7. DUOBUS TABULATIS /pisos/: ex multis Caesaris, Livii, Vitruvi locis eadem fere significant •tabulatum, tabulatio, contabulatio (contignatio).

8. IN CLASSES DISTRIBUUNTUR /se dividēt en cursos/: Quintilianus (*Institut. orat.*, I, 2, 22-23) publitos praeceptores summis laudibus effert, qui pueros in classes distribuunt, et ordinem dicendi secundum vires ingenti dant. . . —Sed per translationem verborum dicere quoque possumus: 'alumnus quintum latinitatis annum agit; quintum latinitatis cursum, curriculum conficit, peragit; in tertio est studiorum cursu seu curriculo'.

9. GLOBIS ELECTRICIS /globos eléctricos/: globus dicitur de omnibus rebus quibus sphærae figura accedit. —De qua voce cfr. PALAES-

TRAM LATINAM, 26 (1956) 172, ubi tamen globulum usurpavi.

10. TUBULIS FLUORESCENTIBUS /tubos fluorescentes/: tubulus est 'canalis, fistula, per quam aqua aut fumus aut calor ex igne permeat' (cfr. FORCELLINIUM, s. v.); hoc vero loco lux electrica permeat. —FLUORESCENTIBUS: fluorescētia est illud luminis phænomenon quo radii Röntgen aspectabiles sunt, et ad parados tubulos fluorescentes adhibetur; ut in aliis linguis, in latinum inducamus fluorescentiam et fluorescens.

11. SIGNUM NATIONALE /la bandera nacional/: Ita dicimus non solum ex similitudine cum signis a cohortibus adhibitis, sed etiam quia «signum nationale» in patriae memoriam seu notitiam nos dicit.

12. TROCHUM [aro]: inter puerorum romanorum ludos trochus quoque recensetur.

13. CLAVI [gufa]: hoc adunco ferro et agitant et moderabantur trechum.

impingant, clavi<sup>13</sup> moderantur; alii turbinem<sup>14</sup> agitant; hi pila<sup>15</sup> in parietem projicienda delectantur; illi manu et digitis globulos<sup>16</sup> projiciunt et collidere student; neque lusorum manipulus deest qui in pediludio<sup>17</sup> delicias habeat

4. Sed hora est ut in ludum litterarium<sup>18</sup> cum parvulis alumnis ingre-

14. TURBINEM [*trompo, peonza*]: quem pueri romani scutica pellebant: «Insta flagello, tuus (turbo) languet, Charine, agit animam, et tuus, Lepide... Scuticam probatissimam habeo, corrigiam optimam e pelle hircina, et bifidam» (PONTANUS, *Ludus turbinis*, cfr. *Guide de la conversation latine* 6, Toulouse, p. 359). — Nostri quoque pueri turbinem funiculo circumligant, et maximo impetu et dexteritate in terram projiciunt ubi diu velocissime ac mollassime gyros circumducunt.

15. PILA DELECTANTUR [*les gusta la pelota*]: multae sunt ludendi pilae rationes (cfr. VAN TORRE, *Guide de la convers. lat.* 6, p. 360); pueri romani trigone ludebant — cui nomen est inditum quod a tribus lusoribus pila jactabatur, et ita disponebantur ut trianguli (triagoni) figuram efficerent (cfr. FORCELLINIUM, s. v.).

16. GLOBULOS [*bolas*]: ut Romani nucibus ludebant, sic nostrae aetatis pueri statutis temporibus minimos globulos manu et digitis projiciunt et collidere student.

17. PEDILUDIO [*fútbol*]: haud paucae propositae sunt voces et locutiones quibus hic ludus latine redderetur. Aliquam quasi vocis historiam legentibus tradimus, qua et ipsi faciliter rem disjedicare poterunt et unam alteramve seligere aptissimam omnium vocem. — JACOBELLI, *Novi flores*, Romae 1914, p. 47: «harpustum»; COGNASSO, *Il latino* 2, Torino, Set.: «folliludum» (s. v. (football): «follis lusus, folliculi ludus, harpastum». (Id. s. v. calcio, -giuoco del-); J. WAGNER, *Dictionarium Hungarico-Lat.*, Budapest 1937, s. v. labdarúgás: «ludus calcius, pedifollium»; E. JOVÉ, *Alma Roma*, 15 (1928) 30: «Football... alias in «Alma Roma», folliludum vocavi, quod nomen profecto non parum aptum cum pluribus visum est»; A. AVENARIUS, «Alma Roma», 15 (1928) 82: «Hoc folliludum appelletur sane, nam vere gummeus follis, inflatus, tectus

involuti pedestibus agitatur collusorum»; TEMPINI, *Manuale di conversazione lat.* 5, Torino Set., p. 171: «lusus follis»; SPRINGHETTI, *Institutiones stili lat.*, Romae 1954, p. 81: «harpasti vel follis ludus»; E. JOVÉ, *Candidatus Latinus*, 3 (1930) 27: «pediludum»; PADBERG-DRENKPOL, *Societas Latina*, 7 (1939) 48: «follis (vel pila) pedalis» (non «pedifollis»), «podosphaera»; G. LURZ, *Societas Latina*, 17 (1952) 8: «podosphaera, follis pedalis»; PASQUALETTI, *Latinitas*, 1 (1953) 150: «follis calciumque ludus»; BACCI, *Lexicon* 3: «follis pedumque ludus; follis calciumque ludus»; refert, sed parum probat: «harpustum, sphæromachia, pilae certamen, pilaris lusio», neque «folliludum», quia «id omnem pilae ludum indicat (*gioco della palla in genere*), potius quam peculiare hoc ludendi genus (*foot-ball*), quod non modo folle, sed calcibus etiam agitur». MIR, *Palaestra Latina*, 21 (1951) 65: «pediludum» («folliludum»); HELMANTICA, 5 (1954) 384: «pediludum»; SANSEGUNDO, *Palaestra Lat.*, 23 (1953) 88 sq.; 109; HOLZER, *Ibid.*, 24 (1954) 134: «pediludum» («folliludum»): ubi P. Sansegundo et Dr. Holzer amplissimam de ludo habuerunt commentationem et verba et locutiones proposuerunt quae ab omnibus adhiberentur. — In his vocibus sunt sane quae improbentur, sunt quae minus probentur; sed ne hanc notulam longius protrahamus, legentes disjedicent et aptiores ipsi seligant; neque tamen est cur a pediludio recedamus, nam — licet alii aliter sentiant viri clarissimi —, voces, quibus in hominum consuetudine utimur, saepissime rem totam non prorsus determinant neque definit, sed peculiarem quandam rei rationem tantum respiciunt eamque praecipue exprimunt qui verba novant et adhibent prout eorum oculos animosque res conspectae magis permoverunt.

18. LUDUM LITTERARIUM [*escuela elemental*]: «ludus, ludus litterarius» est schola in qua pueri minores natu elementa — i. e. legere,

diamur: hora enim octava (vel nona) tinnit<sup>19</sup>. In infima contignatione litterator prima litterarum elementa puerulis tradit. Audi illum explicantem:

•Arithmetica est ars calculandi; calculare autem a calculis dicimus, quos adhibemus ut facilius numeremus. Cum calculi in unum colligendi sunt, summam facimus; cum vero ex uno acervo seu numero aliquid detrahimus, deductionem facimus. Accede ad abacum<sup>20</sup>, Jacobe, et scribe: Decem habeo mala et alia quinque emo, quot fiunt?». — JACOBUS: •Additionis est calculus, scribo: decem (10) et infra scribo quinque (5), cui cruciculam praepono ut additionis sigum: (10 + 5) fiunt quindecim». — •At, spectate magister, haec etiam mente computare jam didici: decem et quinque sunt quindecim». •Formas litterarum, pueri, —iterum magister— saepe ostendi vobis; habetis ligneas, eburneas atque tabulam elementariam<sup>21</sup>. Nostis quae litterae vocales appellantur, quae vero consonantes. Sine vocali non fit syllaba et ex syllabis fiunt verba. Agite, pueri, syllabatim legite, deinde litteras computate dum dicitis: *Mamma, tibi volo bene!*.

5. •Nunc scribendi est hora; ut recte litteras et versus ducatis calatum inter pollicem et medium tenete et indicem molliter super imponite, quo manus minus vacillabit; bracchium liberum sit suoque pondere mensae innitatur. Videte ne vacillantibus versibus scribatis neque lituris scripta commaculetis. Dum verba deformatis, accentuum notas<sup>22</sup>, interpunctiones<sup>23</sup>,

scribere, rationes computare— discunt; in «schola» vero discipuli majores natu grammaticam, ingenuasque litteras et artes plenius ediscunt Ludo praeest ludimagister seu litterator, scholae vero magister, doctor, praeceptor.

19. HORA OCTAVA TINNIIT [han dado las 8]: ex lexicis habes: •hora quinta audit a est; hora nona nuntiatur; modo sonuit tertia; tintinnabuli pulsatione tertia enuntiatur; tertia tinnit».


20. ABACUM [pizarra, encerado]: •Hujusmodi tabula (=abaco) tamquam calculatoria utebantur arithmeticæ et geometrae, eamque pulviseculo crystallino viridi conspergebant, quo facilius numeros et figuræ notarent, delerentque si opus esset» (FORCELLINIUS, s. v.); cfr. •Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas / scit risisse vafer, multum gaudere paratus. (PERSIUS, Sat. 1, 131-2); cfr. etiam RICH, Dizionario delle antichità greche e romane; Candidatus Latinus, 2 (1929) 25; Palaestra L., 2 (1931) 7; Nova et vetera, p. 1. —Ex lexicorum et scriptorum locis allatis abacum

adhiberi posse pro certo habemus, quanquam sunt scriptores (MARIANO, TEMPINI, *Manuale di convers. lat.*, GEORGES, *Deutsch-Lateinisches Wörterbuch*, MENGE-MUELLER, aliisque) qui proponunt et adhibent: •tabula, tabula litteraria».

21. TABULAM ELEMENTARIAM [abecedario, cartilla]: •elementarius ab elementis (litterarum) deducitur, eaque vox ab optimis scriptoribus licet non adhibeat, aptissima saepius erit ad rem subtilius designandam (cfr. lexica, et KREBS-SCHMALZ, BACCI, cet.). Neque tamen est cur •abecedarius, a, um, rejiciamus; est enim optime conficta vox et ex ipsis primis litteris derivata; apud divum Augustinum, Hieronymum leges, et a Ludovico Vile non tantum •elementaria tabella adhibetur (cfr. BACCI, Lexicon, s. v. *abecedario*), sed et •tabella abecedaria» (cfr. Colloquia, V: *Lectio: Cape tabellam abecedariam*, et alibi)

22. ACCENTUUM NOTAS [acentos, señales de acentuación].

23. INTERPUNCTIONES [puntos, señales de puntuación].



graece scit; sed, quod caput est, magna industria et sollertia pueros litteras et artes edocet eosque sedulo informat. Nunc sedet in cathedra<sup>26</sup>, estque aliquantum in suppedaneo<sup>27</sup> elatus ut ab omnibus alumnis facile vide ri possit. Pueri in suo quique loco sedent in mensa, quae binos capit —saepius tamen singulares sunt mensae—. Alumni eandem induunt vestem, uniforme epitogium<sup>28</sup>; magister vero thoracem manicatum<sup>29</sup> nigrum induit,

24. VIRGULAS [comas]

25. INTERROGATIONIS, EXCLAMATIONIS, PA-  
RENTHESIS SIGNA [signos de interrogación, de ex-  
clamación, paréntesis]

26. CATHEDRA [sillón]: cathedra dicitur prae-  
sertim de sella molliore et delicatiore et  
de sellis magistrorum et professorum. (cfr.  
FORCELLINI, s. v.).

27. SUPPEDANEO [tarima]: suppedaneum est scamnum seu scabellum sub pedibus; adhibetur a Lactantio (*Inst.* 4, 12, 17) ab Au-  
gustino altisque; apud S Gregorium est:  
«suppedaneum scabellum». (*Dialog.*, 1, 2).  
—Neque «scamnum, scabellum», quae in le-  
xicis afferuntur, sufficere videntur.

28. UNIFORME EPITOGIUM [bata uniforme]: qua voce illam innuimus vestem quam pueri,  
puellae altisque saepe induunt cum scholam  
frequentant aut alia obeunt munera ita tamen  
ut consuetas vestes non deponant; et ideo  
super induitur altis vestibus, quo vox rei con-  
sonat: éni - togam, vestis quae super altas im-  
ponitur. Vocabulum a Quintiliano (*Instit.*, 1,  
5, 68) commemoratur et a Lud. Vive (Collo-

virgulas<sup>24</sup>, interrogatio-  
nis, exclamatio-  
nis, parenthesis signa<sup>25</sup> di-  
ligenter observate».

6. Sed ascenda-  
mus ad superiorem  
scholam, ubi Jacobus  
magister, vir amplissi-  
mus et multarum rerum  
cognitione imbutus,  
majores pueros institu-  
it; hispanice et gallice  
loquitur; atque latine et


quia, *Schola, opera omnia, Valentiae*, 1772, t.  
I, 337). —«Uniformis» apud Tacitum legimus;  
estque hujusmodi epitogium unius formae in  
omnibus discipulis cum scholam frequentant.  
Alia quae a Bacci et Mariano afferuntur vo-  
cabula sub voce «uniforme» altum habent  
sensem.

29. THORACEM MANICATUM [chaqueta, ame-  
ricana]: thorax «ponitur pro lorica vel quovis  
munito pectus tegente, sive illud laneum  
sit sive ferreum sive ex alia materia confec-  
tum, corazza, usbergo, panciera, corsalerto, giub-  
bone, farseto». (FORCELLINI, s. v.); addimus  
«manicatum», quo ab aliis thoracibus qui  
pectus tantum tegunt distinguatur (cfr. *Vita*  
*Latina*, 2 (1958) 21, *Palaestra L.*, 29 (1959)  
39); ab aliis (ZENONE, MARIANO, BACCI) «tun-  
ica, tunicula manicata» proponuntur; «thorax»  
nostro induendi mori —potius quam «tun-  
ica»— propius accedere videtur. —Neque de-  
spiciendus «thorax americanus».

30. COLLARE [cuello]: quae vox ab antiquis  
adhibetur; (cfr. etiam MARIANO, MIR. *Nova et*  
*vetera*, p. 13, BACCI qui alta commemorat vo-  
cabula).

collare<sup>30</sup> album cum fascia collari<sup>31</sup>. Pueri rationes mathematicas conficiunt, radicem quadratam vel cubicam<sup>32</sup> exquirunt. Petrus ad abacum stat et divisionem, haud recte a Joanne factam, emendat. Alumni secum habent chartarium<sup>33</sup>, calamum, atramentarium, graphium<sup>34</sup>, graphium atramentarium, sphaerographum, stilographum, regulam linearem<sup>35</sup>, thecam calamariam<sup>36</sup>, circinum, codices, codicillos, gummi deletile, gluten, parvum abacum cum lapide scriptorio<sup>37</sup>, cretam, cetera.

7. En tibi Josephi mensa scriptoria et parva bibliotheca: cum ipse bona



sit indole praeditus, quae in schola audit, domi recolit atque in codice cottidie scribit; scriptiones a magistro impositas sedulo exärat. Saepe ad multam noctem legit, ope lampadis electricae supra mensulam nocturnam<sup>38</sup> positae.

31. **FASCIA COLLARI** [corbata]: habes: «collitta» (DUMAINE, *Conversat. lat.* 3, p. 284; *Juventus*, 23, 8, 121); «fascia, torus» (Societas Lat., 6, 44); «focale» (*Juventus*, 26, 4); *Candidatus Latinus*, 2 (1929) 39; MARIANO); «fascia collaris» (*Nova et vetera*, p. 13), quam adhibe, si placet, aut «focale».

32. **RADICEM QUADRATAM VEL CUBICAM** [raiz cuadrada o cúbica]: cfr. de his vocibus Bacci, *Lexicon*, s. v. *quadrato*, *cubo-cubico*.

33. **CHARTARIUM** [carpeta]: est locus, capsa in qua chartae praeclipe asservantur: de hac voce cfr. *Palaestra Latina*, 21 (1951) 112 et 133.

34. **GRAPHIUM** [lápiz]: de hac voce cfr. quae dixi in *Palaestra Lat.*, 26 (1956) 168, ubi alta proferuntur vocabula: «graphiden» quoque adhibet Tempini (*Manuale di conversaz. lat.* 5, p. 144). —Ceterum hujusmodi scribendi instrumenta ita distingui oportere censeo: lápiz - crayon - matita: «graphium (lapis scriptorius); lápiz tinta - crayon encre - Tintenstift: «graphium atramentarium» (quibusdam forstian: «graphium indeleibile»); bolígrafo - bic - Kugelschreiber: «sphaerographum», quam vocem graecam latinam cedere ausus sum ipsius nominis significationem interpretatus, nam Hispani dicunt bolígrafo (ex *bola*, mea quidem sententia) et Germani Kugelschreiber:

quasi sit «globulo seu sphaera scribere», et ideo haud male confictum videtur sphaerographum, cum vox rei consonet, nam eo graphio sphaerula quadam in cuspide posita, scribimus.

35. **STILOGRAPHUM - REGULAM LINEAREM - GUMMI DELETILE**: de his vocibus cfr. *Palaestra Latina*, 26 (1956) 168-169; «linearis» erit ad ducentas lineas.

36. **THECAM CALAMARIAM** [plumero, pluminer]: adhibetur a Suetonio et aliis scriptoribus, cfr. FORCELLINI, qui et «atramentarium» commemorat in re (ita etiam Mariano et Cognasso), quam tamen vocem ad atramenti vas designandum rectius aptabimus. «Thecam pennariam» et «calamariam» habet Lud. Viñes (cfr. *Colloquia*, opera omnia, t. I, p. 318).

37. **PARVUM ABACUM CUM LAPIDE SCRIPTORIO** [pizarra pequeña con su pizarrín]: cfr. quae supra dicta sunt de «abaco» et de «lapide scriptorio» seu «graphio»; in hoc tamen non nihil sensus mutatur.

38. **MENSAM NOCTURNAM** [*mesa de noche*]: de hac voce cfr. *Vita Latina*, 2 (1958) 13 et *Palaestra Latina*, 29 (1959) 35, ubi «mensulam cubiculariam» et «mensulam nocturnam», proponui.

JOSEPHUS M.<sup>3</sup> MIR, C. M. F.

# PER ORBEM

**Novus S. R. E. Pater Cardinalis.** — Omnes qui tempus in latinitatis causa tuenda absumunt, purpureo se tectos colore sentient sacra EM.MI PATRIS ANTONII BACCI purpura, qui litterarum latinarum egregius eximusque cultor et doctor in amplissimum S. R. E. Cardinalium Coetum, JOANNIS XXIII Pontificis Maximi gratia, est cooptatus.

Nemo lectorum ignorat quantum ac qualem Em.mus Pater Antonius BACCI in litteris latinis excolendis promovendisque occupet locum. Qui postquam annos XII linguam latinam in Seminario Florentino docuit, Romam vocatus est, ubi anno 1931, Card. Galli mortuo, Ab epistulis ad Principes electus est. Quo fungens munere, praincipua maximique momenti documenta PI XI, PI XII, JOANNIS XXIII Pontificum Max. latine exaravit.

Bis orationem pro eligendo Pontifice pronuntiavit elegantissimo amplissimoque sermone latino post PIUM XI et PIUM XII mortuum.

Praecipuum ejus opus —praeter commentarios Vaticanos qui LATINITAS inscribuntur quos et condidit et ab initio ut Praeses moderatur— *Lexicon edidit eorum vocabulorum quae difficilis latine redduntur et Varia latinitatis Scripta; uterque liber tertio editus est.*

Dum Sacram Em.mi Antonii Cardinalis BACCI Purpuram osculamur, omnia bona ominamur ac bene ei precamur. Quem fortunet Dominus ut in supremo honorum fastigio collocatus, res nostras toto terrarum orbe fere periclitantes vel in discrimine positas amare prosequatur et defendere et tueri et promovere.

In locum Cardinalis BACCI Ab epistulis ad Principes suffectus est Reverendissimus Vir Hamletus TONDINI qui ab anno 1930 operam contulit in Consilio publicis Ecclesiae negotiis expediendis. Ipse quoque peritissimus est linguae latinae scriptor dignissimusque qui tantum decessorem sequatur.

Ob tantum honoren ei quoque ex animo gratulamur.

**Foederatio Internationalis studiis Classicis Provehendis** (F. I. E. C.) Londini congregata, novas consociationes recepit quae sunt *Associação Portuguesa de Estudos Clássicos*, *Jednota Klastickych Filologu* (Checoeslovaquia) et *Bulgaricum Concilium Nationale*, quibus F. I. E. C. 33 Consociationes nationales in se continet. Praeses electus est Petrus ROMANELLI.

Ut tempore suo nuntiavimus, a die 31 m. aug. ad 5 m. sept., Londonum convenerunt plus quam 600 undique congregati viri ut **Conventui Internationali Studiis Classicis provehendis** adessent, in quo praincipue disputatum

est de *Traditione et novitate*, quid novi quidque veteris apud Antiquos inventetur. Hispani adierunt clarissimi viri García Bellido, Sánchez Ruipérez, R. Adrados, Sánchez Lasso de la Vega, Aramón.

**Primum Genevae** (Génève) IV exeunte saeculo ab Universitate condita in scaenam delata est fabula illa Menandri, haud ita pridem inventa, cui est index *Dyscolos*. *Theatrum graecorum modo instructum* 2.500 spectatores capiebat.

Conspicut viri J. M.<sup>o</sup> Pemán et Fr. Sánchez Castañer, *Orestiadam* his temporibus, moribus, vetere colore vique servata aptaverunt. Fabula in scaenam missa est primum Emeritae, deinde Sagunti, Barcinone, Bilbai, Matriti. Omnium plausus et auctores et actores jure meruerunt.

**Neolatinus** — Amicus Brasiliensis leniter arridens, mihi —tibique etiam ut spero, mi lector— novam prorsusque novam latinitatis clavem obtulit, qua latinum sermonem et facile discas et ejus utilitatem experiare. Posthac nemini licebit linguam latinam nimiae difficultatis aut inutilitatis arguere. Paulus RONAI, in Actis diurnis *O Diário de Notícias* novum mirificumque inventum —neque tamen suum— divulgavit. Antonius da MONTE Rosso librum vulgavit —*Triple Unidad*. 7.<sup>a</sup> edición, Buenos Aires 1943 (!)— (nōvissimus ergo nuntius rei veterissimae!) in quo novum sermonem proponit latino sermone fultum, immo est ipse sermo latinus temporibus cedens... Nīmum plures linguaē in orbē... Nulla artificiosa sufficit lingua: abeant omnes in malam crucem!... Latinam adhibeamus. At difficilis. Noli timere: Simpliciorem rēdde!!! Neque tamen in «*Latinum sine flexione*», deflecteris... Id enim latinitatem totam subvertit. Flexionem servato. At quare quinque flectendorum nominum specimina servemus? Duo sufficient: itemque duo genera, masculinum et femininum. Neutrius genus ad masculinum reducito. Proinde, dehinc omnia verba feminea littera —a finientur, omnia masculina in -us. Hac lege ut dicas: «*Cupidata, spa* (o spem miram!), *gratulationa*... cet., *templus, homus, mensus, librus*... Quin prorsus: et pronominum onus allevato: Dicito: «*ègus, illus, ipsus...*». Verba tamen —praeter verbum «*èsser*»— ad primam conjugationem flecte. Syntaxis simplicissimā: prout in linguis neolatinis habetur. Lege ergo oratiunculam sermone «*Neolatino*», —hoc enim ejus est nomen—: «*Tala est morta cuala est vita*», «*tala vita finus ita*». Placeat *Neolatinus!* Utinam omnibus placeret et tandem detruderentur hominum inter se muri maceriaeque... Praeter linguam unam Auctor mundum unum unumque imperium proponit et tutatur «*neomonarchiam*». Item et calendarium et horarum computationem unam excogitavit.

At Fratris Antonii vox, *Triplicis unitatis* auctoris fautorisque, —prō dolor! non auditur in hoc hominum orbe crepitantibus odiis succensorum pleno—. At Fr. Antonius, sub aeternitatis specie omnia exspectans, iis rebus non nimis pēturbari videtur: «*Pulchrum, pulchrum in orbe sermo unus, pulchrum unus sermo imperiumque unum...* At id unum cogitandum: unum esse necessarium: servare animam...

**Acta diurna muris affixa.** — Multifariam hodie magistri discipulorum animos incitarunt ad faciliorem viam latinitatis alumnis sternendam, quin tamen ad «Neolatinum» inclinent. Praeter commentarios typis expressos —ut *Acta Diurna, Tirones* (qui commentarii ab alumnis Gymnasii exarati, Paulae, e Collegio Minimorum ab ineunte anno typis excusi vulgantur)— magistri *Acta diurna*, veterum more invenerunt quibus alumnos de rebus his temporibus hisque diebus eventis certiores faciant. Quaedam lege sodes:

• In Brasilia, fatiscente jam ob ingruentes pluvias muro quadraginta metris alto qui ad continendas aquas fluminis X. serviebat, admoniti erant paucis ante diebus si omnes qui loca viciniora incolebant ut abire festinarent. Rursus heri, urgente periculo, aufugere coacti sunt circiter homines 60.000, militibus et aëris navibus coadjuvantibus

—De Kruschef. Diurnarii totius orbis heri excipi postulaverunt a Kruschef. Prandum adire voluerunt 800 diurnarii: numerus multo minor admissus. Prandum appositum quam lautissimum, pretium ultra 700 pesetas. Nihilominus, diurnarius hispanus tristissimam hujus convivii memoriam servaturum se esse declaravit...

Quae omnia foveat ac promovet in Universitate Comillensi litterarum latinarum cultor eximius P. Félix Sánchez Vallejo, S. J.

**Lingua Latina in Germania.** — Apud Germanos in ea gente seu *Land Nordrhein-Westfalen*, in institutione media quae dicitur, lingua latina in honore haberi pergit, atque omnino necessaria existimatur cuicunque Universitatis aulas ingredi cupit. Lingua enim latina —haec illis opinio— omnino necessaria ducitur ad alias linguas discendas. Ii qui primum linguae latinae discendaे operam dederunt, superiores menteque validiores aestimantur illis qui anglicae linguae prius vacarunt.

Disci, vocem loquentis vel locuti iterum iterumque reddentes, magistris simillimi fuerunt qui eadem etiam atque etiam repetere tenentur quin saepissime in mentium discis incidere possint...

Disci ergo nunc magistrorum miserti se adjumento magistris praebuerunt ut et ipsis et discipulis suaviorem jucundioresque redderent disciplinam. Ideo praeter discos nostros CCC, quos in his *Palaestrae Latinae* pagellis nuntiavimus, alii incisi sunt qui orationes vel operum carminumque fragmenta apte declamata proferunt.

Officina libraria *Artemis Verlag* sub indice *Die Stimme der Alten Welt* in discis incidenda curavit a cl. v. SCHADEWALT Homeri versus Patonisque sententias.

Item Doctor H. WAGENVOORT, Batavus, Vergilii studiosissimus, IV eglogam incidit.

Officina Polyglotte, Düsseldorf, 27 Postfach, opera scriptorum poëtarumque discis sonigeris mandavit. Corpus «Viva Vox» nomine insignitur. Canticorum operum catalogus potentibus gratis mittitur.

Ad cursum Universitatis ingrediendae praevium, parati sunt disci minutorum sulcorum quibus incisi sunt ex *Cervantes*, scriptoris Hispani, Ciceronis, Platonis operibus selecta quaedam, cura et studio E. Muñoz Cortés, A. Magariños, E. Fernández Galiano.

**Vita excesserunt:** Barcinone die 12, m. Julio a. 1959 vita functus est Carolus RIBA, cum egregius antiquitatis graecae et latinae cultor et existimatur tum poëta insignis. Jam anno 1911 —ipse natus erat a. 1893— *Bucolica*, anno 1919 *Odysseam* catalunice redditam vulgavit. Deinde plurima opera convertit et edidit in eo Corpore «Fundació Bernat Metge», inscripto, cui, post Joannem ESTELRICH, praefuit. Cum ipse litteras classicas ita calleret, tamen in poësi vernaculā lingua condita plane suus erat et temporibus quam aptissimus. Nam Carolus RIBA in prima recentium poëtarum acie stipendia meruit. Philologus ergo fuit et poëta. Quia poëta, ejus philologica doctrina maxime in patrium cultum contulit.

—Doctores Upsalenses clarissimi decesserunt: Gustavus TÖRNELL die 25, m. majo a. 1959 — annum agens 80 — qui studiis Tertulianeis praecipuam operam dederat, et Ake JOSEPHSON (1919-1958), cum 40 annum incepérat. Is thesim doctoralem scripserat de *Corpo Agrimensorum* aliaque plurima investigayerat.

Lugduni die 19, m. augusto, a. 1959 vita functus est Renatus WALZ, eximius litterarum latinarum cultor, qui in primis operam navaverat Senecae, nec non Terentio, Horatio, Lucretio, quorum opera summa arte gallice expresserat.

R. I. P.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

# BIBLIOGRAPHIA

A. CART, P. GRIMAL, J. LAMAISON, R. NOIVILLE.

— *La première année de Latin*, avec la collaboration de J. M. MAVRÉ. Fernand Nathan Editeur. 18 rue Monsieur-le-Prince, Paris, VI, 1958.

Hic quoque Auctores primum librum — milium sane — foras emiserunt, de quo cum hoc anno in pueris instituendis et initandis eo utar expertus loqui possum. De eo strictim dicam optimum esse instrumentum et aptissimum: 1.º quia ordine et gradu procedit (ordine dicam suo, non ordine in hujusmodi libris usitato). 2.º Quia vocabula proponit magis necessaria, quae recentiores «primaria» (basica) appellant. Eaque proponit typo rubri coloris, quo altius in animis puerorum infigantur. Verba autem semel proposita passim in exercitationibus resumuntur. 3.º Quia regulas grammaticas praecipuas tantum et omnino necessarias proponit, ceteris omissis. 4.º Quia exercitationibus quam plurimis et variis abundat, quae si initio sententiis continentur, in unoquoque capite lectionibus quibusdam «cursivis» concluduntur, in quibus institutiones Romanorum et cultus attinguntur. 5.º Quia et typographica excusio jucunda est et amoena, cum typorum varietate (atri rubrique coloris) tum scitis picturis adumbratis vel imaginibus photopictis.

Si liceat — licet enim et oportet amicos juvare — quosdam naevos levioris momenti notabo. vox *insula* (pg. 46, n.º 22) pulchra (p. 36, 6) *situs, a, um* (p. 71) prius adhibentur quam proposita sunt. In p. 62 adhibetur «chaque jour», verbo latino nondum notato antea. In pag. 92 (*Vocabulaire*) et in «Lexique latin-français» verbum *indico, is, ère*, notatur; littera brevi (*indico* pro *indico*). Praeterea ubique corripitur e littera in tertia persona plurali praeteritorum perfectorum: «amavérunt, legréront, audiérunt, cepérunt» (cfr. IX pro «érunt»).

Ut patet naevuli formam tantum aliquantulum tangunt, non rem.

Ex animo et Auctoribus et Editori plausum tributus sincerum, ejusque opus commendamus.

A. CART, P. GRIMAL, J. LAMAISON, R. NOIVILLE. — *Grammaire Latine*. Fernand Nathan Editeur. 18, rue Monsieur-le-Prince. Paris, VI.

Hoc volumine Auctores regularum grammaticarum conspectum condiderunt in quo apte conjunguntur et numerus rerum et clara concinnaque expositio. Inservire potest et incipientibus et proficientibus: nam omnis argumentorum expositio duabus paginae absolutur: hinc regulae praincipuae summatim dantur, inde enucleantur et complementur. Quare discipulis primum sinistra pagina discenda proponitur, deinde, cum jam progressi erunt, dextera pagina.

Rubro colore notantur verba praincipua resque notanda: typi quoque nitidi sunt et jucundi Liber ergo hic grammatica tantum est praceptiva, exercitationibus omissis.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

SILVIUS B. PEREIRA — *Sub Athenarum caelo*, Flumine Januarii, 1959, pp. 19.

Silvius Baptista Pereira, vir doctus Flumenjanuariensis apud Brasilianos, pro viribus suis latinitatem vivam fovere non desistit. Altero enim anno libellum prosa oratione conscriptum prelo committit. Itaque postquam anno 1955 opusculum «Alma Roma» inscriptum edidit, duobus autem annis post «De Pompeiana Urbe» egit, proximo tandem anno Athenarum laudes celebrare ausus est. In commentatuncula, c. t. «Sub Athenarum caelo» iter Atheniense simplici sermone describit et commoto animo gloriesam urbis historiam evocat. En tibi specimen, e pagina 5 depropatum: «Caelum erat sudum, ac mare, quod sub

solis raditis vibrabat, mirum in modum serenum. Pyrosphpha cursum placide tenebat, sulcos infindens portumque petens. Gaviae eam supervolabant, candidas alas longasque plaudentes. Longe Salaminem insulam vidi- mus atque, in conspectu insulae illius, nava- lis pugna anno 480 a Ch. n. facta...».

P. OVIDIUS NASO. — *Heilmittel gegen die Liebe / Gesichtspflege: Übertragung, Enführung und Anmerkungen von Josef Eberle, Turici Stutgardiae, in aedibus »Artemis«, 1959, pp. 58.*

Josephus Eberle, vir humanissimus, cuius carmina latina («Imagines», 1955, «Laudes», 1959) jam pridem lectoribus Palaestrae Latinae proposuimus, hoc libello versionem metricam «Remediorum amoris» necnon «Medicamentum faciei». P. Ovidii Nasonis offerre voluit. De interpretatione germanica rectius judicabunt, quibus Germanorum sermo nativus est. Introductionem vero, qua est humanitate, urbanitate, sensu artis poeticae ac vitae replera, multis laudibus cumulamus. Auctor enim, dum poeta poetam interrogat, ingentiosum inventit hominem nobisque hominem artificemque proplus adduxit. Viventem Ovidii imaginem a Josepho Eberle adumbratam non possumus quin amemus.

JOSEPHUS IJSEWIJN

GIUSEPPE RICCIOTTI. — *La Bible et les découvertes récentes, traduit de l'italien par Annie Mesritz, Office de Publicité, S. A., Éditeurs. Bruxelles, 1959; 155 pg.*

Incommodo accidit quod pauci sunt qui res antiquitatis nuperime inventas quaeque doctrinae pervestigationem Sacrae Scripturae maxime favent, mediocriter noscant, fortasse quia pauci etiam sunt qui de his rebus aperta et subtili narratione scribant.

Josephus Ricciotti, scriptor notissimus et in re biblica peritissimus, parvo volumine praecipua intra centum annorum spatium reperita quae ad Sacram Scripturam pertinent, anno 1957 lingua italica scriptis, quod volu-

men anno 1959 in linguam gallicam ab Anna Mesritz translatum est.

In eo legentibus praebentur aliqua aetatis praehistoriae et aeneae et ferreae (13-14); et antiquissimae quaedam traditiones gentium orientalium quae Israellitae in terram promissam secum tulerunt et postea in Sacris Libris conscripserunt (35-63). Etiam Ricciotti de recentissimis inventis juxta mare Mortuum scribit, eorumque historiam narrat et documenta «quadrinaria» — quae ita appellantur ex loco ubi inventa sunt — breviter explicat (67-93). Tandem auctor breviter exponit historiam Palaestinae sub potestate Romanorum, quae anno 70 p. Ch. n. extincta est cum Titus imperator Hierosolyma cum Templo destruxit.

Liber optimis typis excusus 155 pagellas habet quae 92 photographicis imaginibus ornantur; in quibus eminent 20 tabulae ex Columna Trajan desumptae.

JACOBUS GARCIA, C. M. F.

SEBASTIANO MOTTA. — *Traduciamo insieme Prime letture latine per la prima e seconda media. Avviamento pratico alla traduzione. S. E. I. Torino, 1958.*

Librum auctor pueris puellisque dicat qui primum litteris vacant latini. Quibus selecta quaedam loca in italicum convertenda offerit ex Historia sacra Veteris Novique Testamenti Lhomondiana, ex Eutropii Breviario, ex fabulis Phaedri selecta. Triginta omnino fragmenta breviora numerantur. In infima pagina omnium et singulorum verborum difficultates enodantur, casu designato et tempore et verbi vi sensuque; verborum praebet sensum, non tamen ordinem neque conversionem. Quo alumno viam percurrendam sternit ut facilius legat latine et intellegat. Facilem ergo lectionem reddit et laetam, at nullo modo alumno laborem remittit, quin etiam foveat et exigit. Haec ratio optimos fructus afferet si legens puer — ut auctor vult — quae convertere contendit memoria discat et teneat.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

RAFFAELE PETTAZZONI. — *L'Essere supremo nelle religioni primitive.* (L'Onniscienza di Dio). Giulio Einaudi editore, Torino, 1957.

Parvum hoc volumen —quod cl. prof. Pettazzoni de divina «omniscientia» scripsit, prout in originibus apparet et evolvitur et prout in primigenitis religionibus habetur—, summarium est amplioris ejusdem scriptoris operis, cui est index: «*L'Onniscienza divina*», Torino, 1955, italice, anglice vero «*The All-Knowing God*» (Methuen Co., London, 1956), editi.

Hoc igitur opusculum cum ad hujusmodi cognitiones divulgandas sit praeparatum, scientifico majoris illius operis apparatu caret, notulis omnibus, praeter omnino rei illustrandae necessariis, omnino praetermissis.

Omnes neverunt clarissimum illum Doctorem Schmidt aliasque illustrissimos anthropologos religionumque historicos viros, immo et «Encyclopaedistas» qui dicuntur gallos, vel Voltaire ipsum opinatos esse —quod et theologi communiter probant primaevam religionem «monotheistam» fuisse, quam variis de causis, volventibus annis, in polytheismum paulatim degenerasse. Quibus omnibus obssistit R. Pettazzoni asseritur monotheismum post polytheismum evenisse idque factum esse non rerum naturali evolutione sed eversione; nam religionis monotheistae ad ventus semper cum perturbatione quadam religiosa accidit.

De re disputent et judicent harum disciplinarum peritissimi viri.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

MARCEL PERNOT. — *Le latin au B. E. P. C. Versions et thèmes.* Hatier, 1958, Paris.

En quasi sertum versionum et thematum ex optimis quibusque scriptoribus latinis excerptorum alumnis ita dispository ut ordine chronologico litteris latinis initientur: ex Plauto nempe, Terentio, Cicerone, Lucretio, Caesare, Cornelio Nepote, Vergilio, Horatio, Tibullo, T. Livio, Ovidio, Seneca, Tacito, Plinio, Juvenale, Suetonio Q. Curtio. Quae fragmenta magnopere alumnis arridebunt tum ob res tum ob eventus de quibus agitur.

Ratio et via quae in unaquaque versione et themate iteratur, omnino sane laudanda: primum una linea quasi index rei exponitur, quam mox insequitur hujus indicis brevis et compendiaria explanatio; deinde textus scriptoris latini cum nonnullis vocibus difficultoribus vernaculae interpretatis; denique thema, quod alumnus suo ingenio imitentur, praebetur. Pagina cujusque versionis et thematis aliquibus de scriptoribus latinis notulis, prout res et historia litterarum latinarum postulat, finitur.

Alumni his versionibus et thematis in praeceps regulis grammaticis exercitabuntur et gradatim chronologicam primorum operum et scriptorum latinorum cognitionem assercentur.

HERMINIUS MOLINA, C. M. F.

M. ROUSSELET. — *Grammaire Elementaire du Latin.* Hachette, 1956, pag. 110.

M. ROUSSELET. — *Exercices Latins.* Hachette, 1956, pag. 110.

Nemo non novit quantum sive in tradendis sive in ediscendis linguis, quae vivae dicuntur, praesertim vero classicis, via proposita et ratio qua facilius et minimo alumnorum labore leges et precepta grammatica memoriae mandentur mentique penitus imprimentur.

His temporibus, in Gallia praecipue, linguae latinae professores summa ope nituntur et studio libros evulgare, quibus ratione variaque docendi via, leges grammaticae, ordinis, claritatis, jucunditatis plenae, praebentur. Inter hos tantosque optimos libros, clarissimus Professoris Rousselet Grammatica, quam hodie animo libentissimo lectoribus offerimus, praecipuum obtinet locum.

Via seu ratio, quam auctor in Grammatica tradenda sequitur, illa est quae apud magistros hodie magni habetur, quaeque «visualis» appellatur; eaque per imagines et tabulas vel paradigmata sententiae et verba coloribus illustrata, legesque linguae latinae alumnorum mentibus alte infigantur. Unaquaeque lectio, breviter presque exposita, incipit exemplo vel exemplis nonnullis quibus pra-

cipuae normae grammaticae enucleandae continentur. Quae praecepta, typis magnis excusa, imaginibus et lepidissimis picturis a Y. Becmeur depicta, flavo aureoque colore colorata, magno alumnis juvamini erunt.

Liber, qui 110 pagellis constat, ut ipse auctor in praefatione exponit, morphologiam et primas seu praecipuas syntaxis regulas continet; ea tamen tanto ordine, tanta perspicuitate tantaques venustate disposita et enodata ut per jocum diceres latinam linguam a claro Prof. Rousselet tradi. Qua de causa cl. viro Rousselet ob hanc optimam editam Grammaticam tantisque virtutibus ornatam, vehementer gratulamur.

Una cum Grammatica latina eademque via et ratione eodemque etiam ordine, claritudine, jucunditate conscriptum clarus professor in lucem edidit alterum librum (pagellis constat 110) qui permulta exercitia seu themata sive in gallicum sive in latinum transferenda, ex historia et vita tum Romanorum tum Graecorum desumpta, continet. (Confer exempli gratia quae de Hercule ex pagella 79 usque ad 86 lepidissima narratur fabella...).

Quae exercitia, ad praecepta in Grammatica latina proposita referuntur elique sunt complemento. Proponuntur quoque solvenda aenigmata et quadrata magica ut ludo et oblectamento sint alumnis. Ut versio melius citiusque fiat, Exercitorum liber instructus est fasciculo in quo verba difficultiora quae alumnis occurunt, colliguntur.

J. ARAMENDÍA, C. M. F.

VON WARTBURG, WALTER. — *Von Sprache und Mensch. Gesammelte Aufsätze. Mit einer Bibliographie der Publikations des Verfassers, zusammengestellt von Kurt Baldinger und Alfred Thierbach.* Francke Verlag, BERN, 1956.

Non est novus in hac studiorum Provincia Von Wartburg, qui inde ab anno 1912 de his rebus scribere nunquam destitit estque unus ex «Romantistis» illustrissimus. In hoc volumine «de lingua et homine» varia colligit scripta, quae quanquam singillatim inter se cohaerere non videntur, tamen in Auctoris

mente unum quoddam efficiunt «hominem» communis opera conjunctum.

Auctoris enim maxime considerare interest quantum gens et lingua mutuo inter se agant et afficiantur. Nam gens ipsa sibi linguam fingit propriam; contraque gens ab ipsa fingitur lingua in qua gens ipsa —velut in speculo— se agnoscit. Re enim docti scimus quantum lingua singularum Europae gentium historiam quasi definierit... Quam tamen quaestionem, ut amplius exquireret, duos libros scripsisset VON WARTBURG: «Die Ausgliederung der romanischen Sprachräume» et «Die Entstehung der romanischen Völker».

In hoc ergo opere, quinque partibus distincto, ut mentem de hac re plenius aperiat, Helvetiam proponit, quod vere linguarum musivum est, in qua Helvetia linguae maximum momentum habuerunt (et habent) in republica Helvetiae condenda, evolvenda, conservanda.

Deinde monstrat quomodo praecipua «facta historica» vestigia in lingua presserint, adeo ut volventibus saeculis, facile agnosci possint; eaque sententia duobus partis secundae capitibus evolvitur «Sprache und Geschichte»: «Les noms du jour, die Griechische Kolonisation».

Alias quaestiones enucleat in III parte (*Dialektologie*), in IV: *Prinzipienfragen*, in V parte, cum auctor magnam contulerit operam in Etymologico linguae gallica lexico condendo, tres commentationes huic arguento tribuit.

Lingua praeterea exprimitur et extollitur et completetur in magnis litterarum monumentis. Quod ut ostendat singulas commentiones tribuit poetae Corneille (*Grandeur et décadence d'un poète tragique*), Flaubert, *Créateur de formes, Archaïsme et régionalisme chez Chateaubriand*.

Liber finitur copioso bibliographicō operum Professoris Wartburgii indice, quo melius quam verbis declaratur ingens auctoris in linguis romanis investigandis labor. Ut ex commentationum indicibus patet, lingua germanica et gallica, alibi alter prout res postulat, adhibetur.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

MONTOLIU, MANUEL DE. — *Les quatre grans Cròniques*. Edit. Alpha, Barcelona, 1959

Catalaunam epicum poëma primaevum non habere res omnibus nota est. Forsitan haberit; non asservatum est. Remanent tamen quatuor «Chronicæ» quae quoddam saltem poëmatum adumbrant vincta oratione scriptum. Nam si Jacobi Regis magni Expugnatoris (*El Conqueridor*) chronicon legeris, plus quam 700 versus seu sententias «rhythmicas» invenies. Emmanuel de Montoliu — harum rerum peritissimus — singula chronica perpendit. Jacobi dico «Expugnatoris», Bernardi Desclot, Raimundi Muntaner, Petri «el Ceremonios», qui dicitur. Quorum chronicorum virtutes inquirit et proponit, originem et fontes quaerit, argumenta praecipua summatim exponit. Studium perfectum et delectatione conspersum. Introductio generalis (*La historiografia medieval catalana*) magni est momenti, nam gentis catalaunicae «historiae sensum» revelat eusque proprium modum res historicas narrandi. Cum gentes aequales historicos libros epicis miscerant fabulis cives nostri rem proponebant nudam et — ut illis temporibus — rei veritatem inquirebant et exprimebant,

Hic liber E. Montoliu consulendus erit illi qui in posterum de his rebus scribere quicquam voluerit.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

WILLEMUS BUSCH. — *Fabellae pueriles ab Hugone Henrico Paoli latinis versibus redactae*. F. Le Monnier, Florentiae edit. a. MCMLX, pag. 153.

WILLEMUS BUSCH. — *Maximi et Mauria malefacta* ab Hugone Henrico Paoli latinis versibus enarrata. F. Le Monnier, Florentiae edidit a. MCMLIX, pag. 61.

Duo haec opuscula quorum lepidissimam materiam Willemus Busch repperit quaeque venustate mira ipse depinxit, versibusque rhythmicis seu similiter cadentibus Ervinus Steindl Carantanus latine reddidit, ad id pertinent generis quod sive ludendo, sive ridendo sive oblectamenta praehendo multa omnibus, preesertim pueris, praecipit. Quis

Ervinus versus, quamvis simplices, captiisque puerorum accommodatissimi, minime tamen ad opera arte effecta, pertinent. Quia versificator, ut dicunt, est, non poëta.

Nostra vero aetate poëta ille clarissimus Hugo Henricus Paoli — decus et Musarum ornamentum — singulari quodam afflatus instinctu, bellissimas illas Villelmi narratunculas versu hexametro elegantissime et germanica lingua in latinam convertit.

In multis quae in Hugonis H. Paoli fabellis sunt notanda haec eminent: primum quod cl. vir Paoli hexametri tali sunt structura et elegantia compositi, tali simplicitate, perspicuitate talique facilitate Maximi et Mauriti facinora exprimuntur ut nihil jucundius in fabellis enarrandis forsitan sit scriptum. Alterum magnopere laudandum, illa est ars miraque illa est virtus qua res tanta peritia, tanto ingenio tantaque venustate et lepore dicuntur ut haud facile quid pueris puerisque jucundius, amoenius, simulque fructuosius invenire poteris. Gratias ergo rependimus maximas tum cl. viro Hugoni Henrico Paoli artis docendi delectando vere magistro — tum Domui Editrici F. Le Monnier pro his optimis utilibusque opusculis nuper editis.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

GAL ROGER. — *Manuel de Latin. Liber primus*  
Classe de 6.<sup>e</sup> Avec la collaboration d'Henri BOUHET. Préface de M. Marcel DURRY.  
Quatrième édition.

F. et M. DE KISCH. — *Manuel de Latin. Liber secundus*. Classe de 5.<sup>e</sup> Préface de Pierre CLARAC. Introduction de M. Roger GAL.  
Troisième édition.

F. et M. DE KISCH. — *Manuel de Latin. Liber tertius*. Classe de 4.<sup>e</sup> Préface de Pierre CLARAC. Deuxième édition. *Le latin par les textes*: Collection dirigée par Roger GAL.

ROGER GAL - F. et M. DE KISCH. — *Grammaire Latine de Basse*, Collection d'Etudes Latines.

Les Éditions O. C. D. L. 76 bis, Rue des Saints - Pères Paris, VIII:

*Temporibus cedendum est aut moriendum.  
In maximo discrimine lingua latina versatur.*

*Modis temporibus aptis tradenda est si eam superstitem volumus et posteris colendam.*

*Maxime gaudio afficior hos libros prae-  
bens quibus demonstratur quomodo lingua  
latina hodie tradi possit.*

Hi libri quatuor sunt et unus, cum ean-  
dem rem eadem ratione gradatim prosequan-  
tur et attingant. Quae ratio «activa» pree-  
dicta aestimanda est, cum alumnū jam  
inde a primis navandis litteris moveat ut  
ipse per se res quaerat. Ne autem «actio-  
nī» detineatur, verba suo ordine proferun-  
tur, puero singulis annis necessario discen-  
da.] Primo igitur cīciter 550 verba, secundo  
totidem, tertio vero et quarto reliqua tradun-  
tur, ita ut toto latinitatis curriculo, duo cī-  
citer mīlia vocum quas M. Mathy in opere  
«Vocabulaire de Base» affert, ediscenda propo-  
nuntur. Scimus enim alumnos, si 1000 verba  
frequentissima dīdicerint, 80 % verborum  
possidere quibus commode et sine dictionario  
queant libros in scholis secundarīs legendos  
percurrere. Si vero 3000 dīdicerint, 90 %  
tantum...

Haec accuratissima et gradatim data ver-  
borum propositio, maxime auctoribus est  
cordi, tamquam aliarum rerum fundamentum.  
Nonne alumnī nostri tempus — in dies bre-  
vius — misere terunt in lexīco quaeritando  
verba per quam trita? Quae tritissima verba  
si gradatim memoriae mandantur, labor redi-  
ditur certo facilior et efficacior.

At verba et regulae circum factum seu  
lectionem cursivam — non sententīs discis-  
sis — alumnī traduntur. Anīmum magnopere  
etiam movent fabellae apte quæsītāe et le-  
pidissimae et per totum librum continuatae  
ut Iphiclis historia, pueri Atheniensis, priore  
anno, et Lucii seu Asini commentarii, in altero.  
Praetera in libro 1.º in primis historiæ  
graecæ conceditur, in altero «de viris» nar-  
rationibus et mythologiae. At in libro tertio  
alumnus in medias res omnino mergitur, adeo  
ut liber tertius fere totus textus convertendos

exhibeat vel in vernaculam lingua (ex Ci-  
cerone, Sueronio, Quinto Curtio, Caesare,  
Plinio Juniore ceteri), vel ex vernaculis in lati-  
num.

*Simil cultus antiquorum cum Graecorum  
tum Romanorum, et historiae et Institutiones  
breviter et amoenissime enucleantur, quibus  
puerorum insatiabilis descendī cupiditas  
acuitur, non sedanda nisi latine discendo.*

Complemento tribus prioribus libris pro-  
positis erit *Grammaire Latine de Base*, ubi  
grammatica summissae ancillæ partes agens,  
alumnū manu ducit ad matronam quae est  
lingua latina.

Nam alumni difficultates enodat, praeci-  
pua memorat, consulenda preebet. Quo ejus  
utilitas magis ac magis augetur et maximi  
aestimatur.

J. SIDERA, C. M. F.

MATHY, MAURICE. — *Carnet de Vocabulaire  
Latin (Vocabulaire de Base de Latin).* 5.ª  
édition. Editions O. C. D. L. 76 bis, rue  
des Saints - Pères. Paris VII.

In superiorum operum fundamento et ba-  
si hoc opus M. Mathy quasi celatur. Hic  
liber — *Carnet de Vocabulaire* — nihil aliud est  
quam «Le Vocabulaire de Base» alumnī accomo-  
modatus. Quare omni apparatu nudus, verba  
tantum proponit, sensu et vi non notatis.  
Alumnus ipse in spatiis et lineis — post sin-  
gula verba relictis — scribere debet sensum  
et vim singulis verbis adscribendam prout  
in schola ventunt. Ita alumnus ipse sibi vo-  
cabularium conficit

Volumen 2.800 verba capit. In fine collig-  
guntur quaedam verborum familliae. Omnia  
litterarum ordine produntur, notata singulo-  
rum vocum «frequentia». (In pagina 143 ver-  
bum «Pulsare» crassiore typo notatum, con-  
fusionem in vocum ordine gignere potest...).

Opus ergo alumnī utilissimum ducimus,  
at magistris necessarium ut ordinate proce-  
dant in verbis et vocibus pueris imponen-  
dis.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

CAMPS SARRÓ, FRANCISCO. — *Manual de Gramática Española (sintaxis)*. Academia Suiza, Barcelona.

Hic liber, a filio Typographi nostri carissimi scriptus, non Hispanorum interest, sed Germanorum qui hispanicam linguam didecerunt ejusque implicatam syntaxin penitus cognoscere et recte adhibere studuerunt. In eo enim auctor praecipuas grammaticae hispanicae difficultates proponit apteque enodat. In quibus difficultatibus saepe Germanos labi, usu cognovit auctor et expertus est in Academia Helvetica Barcinonensi, in qua est magister. Regulae et normae de articulo, de verbo, de pronomibus, temporibus, modis cert. abundantibus exercitationibus compleuntur.

Libellus —corpoce et mole minimus— lucida claritate splendet omnibusque exteris gentibus utilitat maxima erit. Idem auctor librum suum —quem jam ante Gallis aptaverat— Italis quoque et Anglis aptare animum induxit.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

EBERLE JOSEF. — *Interview mit Cicero. Gestalten und Profile*, Deutsche Verlags-Anstalt, Stuttgart, 1956, 160 pg.

Sunt qui linguam latīnam inimicām vītae et rebus nostrae aetatis mīnime idoneam reputent, eamque tantum antiquis vīris Romae et Graeciae bonam et optimam esse affirment.

Josephus Eberle suo libro «Interview mit Cicero» his omnibus erroribus adversari conatur Non quidem scribit illam defensionem aetatis antiquae —cum illa nullo patrono indigeat— sed quasi ambulationem conficit per rura et urbes Romae et Graeciae. Et cum auctore ambulamus fine incerto, non per strata et rectam, sed per viam compendiariam; hic atque illuc sistimus; magnos et illustres viros miramur et illis nobis severo et lepido et facili sermone narratur.

Itaque cum nostro Josepho et nos in Ciceronis (9-19) et Maecenatis (20-43) et Cassiodori (13-154) et Vergilii (44-48) congressum venimus. Paulum Apostolum Athenas contamur (73-88), Acropolim lustramus (155-

159); primam illam Suevæ historiæ inventum —illam «caram virgunculam suevam»— quam Ausonius poëta bello sibi cepit (95-104); et perpolitam et levem et sollerterem Julianam, filiam Caesaris Augusti, noscimus. Tandem in nostra ambulatione artem poëtarum latinorum experimentur, quam Josephus Eberle, et ipse poëta, poëticè pingit et narrat.

Aetas antiqua nobis. Iterum vivit recens ita ut nos illos homines illorumque humanitatem penitus cognocere possimus. Auctor vero hoc aetatis romanae experimentum non ratione et ordine exponit, sed vitali vi et quasi in certis hominibus agens.

Josephus Eberle laborem aggreditur cum Elegia in laudem Regis magistri qui eum formas et verba sermonis latini cum Foro et Templo et dīs splendide componere docuit. Quibus laudibus nos —et tu quoque, si librum Eberle perlegeris— auctorem clarissimum simpliciter prosequimur. :

JACOBUS GARCÍA, C. M. F.

A. HANO · G. PETIOT · G. PLANCHE. — *Langue latine, Classe de sixième · Classe de cinquième*, A. Hatier, 1955-1956, Paris, pp. 287-333.

En, humanissime lector, quam tibi offert mus linguae latīnae Grammaticam a clarissimis vīris A. Hano, G. Pettot, G. Planche in lucem evulgatam.

Hujus Grammaticae scriptores, experimentis probatissimi, doctrina vero et eruditione praestantissimi, in animo habuerunt, in his conscribendis libris, ut in praefatione Henricus Berguin assertit, «faciliter l'étude de la langue latine et de la faire aimer»...

Quare, in hoc quod in promptu habes primo volumine («classe de sixième») potius quam leges et grammatica praecepta, quae alumnis tanto semper fuerunt fastidio, rationem inventiles novam linguae latīnae viventis et actiuae reddendae. Id est, liber hinc professoribus ansam praebet ut continent alumnū per ludos latīnos, cui nomen «Échale», «Glisse», «Grille», «Péle-Mèle», «Bobine», cet. (a claro vīro H. Berguin optime vocantur «Gymnastique d'assouplissement») in lingua latīna

exerceantur atque fiant evadantque quasi per vi funambuli.

In primo libro haec auctoribus fuit mens et propositum: Ut alumnorum animis penitus latinitatis elementa totiusque latinae linguae structura infigerentur; ut alumni via et ratione vocabulorum cognitionem «primariam» (de base, *básica* dicunt), quaeque a M. Mathy in libro cui nomen «Vocabulaire du base du latin», colliguntur, assequerentur; ut darent operam ut alumni progressus in grammatica fecerent. Cui progressus XXVI thematum capita tribuuntur, quorum XIII prima ad cultum, vitam, historiam romanam, XIII postrema ad graecam referuntur.

Haec est generatim ratio seu structura — ex I usque ad XIII — qua unumquodque constitutitur caput: duae pagellae verbo destinantur; alia vel duae consequuntur quibus ex ordine et sollariter de nomine substantivo vel adjektivo aliqua exponuntur; quarta — dimidia saltem — (quae ab auctoribus *Gymnastique* vocatur) varia verborum et nominum exercitia continet efficacissimo, quae per ludum fiunt; in quinta syntaxis elementa enodantur; in sexta exercitia scripto facienda prponuntur; in postrema vero pagella series dantur vocabulorum quae «primaria» dicuntur. A capite XIV narrari incipiunt historiae seu fabellae antiquitatis graecae quae inscribuntur «Epitome Historiae Greciae». Quae historiae cum progressu grammatico serieque vocabulorum «primariorum» optime conjunguntur. A capite XXVI «Quaestionarium» latinae linguae eloquendae aptissimum proponitur.

Volumen alterum («classe de cinquième») eadem ratione qua superius volumen excogitatum est et exaratum.

Prima hujus voluminis pars XVI capitibus constat quorum in I - V de confirmandis agitur et evolvendis quae in superiori curriculo ab alumnis comparata sunt; capitula VI - XIII aliqua — perspicillitate tamen maxima exposita — de morphologia et syntaxi continent; capitula XIV - XVI summa sunt seu repetitio totius grammaticae. En, lector, quae unoquoque capite continentur:

1. — «La page d'Initiation», seu conspectus historiae romanae.

2. — «La double page de Vocabulaire», seu versborum a M. Mathy in opere supra memorato collectorum.

3. — «Les pages de Morphologie», ubi regulae dantur ad expeditam latine loquendi et audiendi facultatem assequendam.

4. — «Les pages de Syntaxe», in quibus ex uno exemplo, quod sit forma et exemplar, praecepta grammatica educuntur.

5. — «La ou les pages d'exercices écrits», id est conversionis exercitia gallice vel latine exprimenda.

6. — «La page de Phédre», seu conversio in gallium XX fabularum, ex minore ad maiorem difficultatem dispositarum.

Altera hujus voluminis pars exercitii versionis ex libro «De viris illustribus» de sumptis constitutur.

Ex his non possumus non maximis laudibus auctores cumulare ob hanc novam per sectamque rationem quam utilissimam et efficacissimam alumnis fore putamus.

JESUS ARAMENDIA. C. M. F.

SÓFOCLES. — *Las siete Tragedias*. Traducción directa del griego por Julián MOTTA SALAS. Imprenta del Banco de la República, Bogotá, Colombia.

Cultu sane et comitate Doctor Julianus Motta, Columbiana in re publica praeclarus humaniorum litterarum magister, in Facultate vero Bogotensi Philosophiae et Litterarum Decanus, floret. Altis jam editis hoc modo eruditum opus adjunxit, quo de Sophocle, tragediarum nobilissimo auctore, quidquam lector momentis delibare utique posset.

Nova Sophoclis tragediarum ab integro conversio haud res quidem leviusculi pondere, maxime autem si ea toto animi nixu est suscepta. Jam vero facilitate ac nitore et veritate haec tragediarum hispanica conversio commendatur. ratione et via toto in opere sedulus auctor procedit.

Post amplam de re praefationem, ordo constitutur quo tragediae sibi succedant: Ajax, Antígona, Trachiniae, Oedipus Rex, Electra, Philoctetes, Oedipus Coloneus.

Uni cuique opportuna, eaque erudita ana-

lysis; cum hispanica prostat translatio; denique notis historicis, criticis, poetis res tota perpolitur atque completur. Ex animo plane gratulamus insigni humaniorum litterarum magistro, Doctori J. Motta, ex cuius quidem ingenio et fecunditate novos carpere fructus speramus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

GALIANO, DE LA VEGA, ADRADOS. — *El Descubrimiento del amor en Grecia. Sels conferencias por Manuel F. CALIANO, José S. LASSO DE LA VEGA, Francisco R. ADRADOS. Universidad de Madrid, Facultad de Filosofía y Letras. Madrid, 1959.*

Hae sex elaboratae dissertationes prolatae sunt mense augusto, anno 1955, in ea «Sectione Humanitatum Universitatis Internationalis Aestivae», in inclita civitate Sancti Emeterii (Santander). In idem omnes argumentum, tanquam rosarum fasciculum odoribus perfusum, vergunt. Ut auctores praeclarissimi, sic et litteraria parta maximi aestimanda

Hoc autem ordine libri lucubrationes apparent: Sapho et amor sapphicus, Emmanuel F. Galíano (pp. 9-54). Amor dorlus, Josephus S. Lasso de la Vega (pp. 55-99). Eros paedagogicus Platonis, Id. (pp. 101-148). Vir et femina in poesi et vita Graecorum, Franciscus R. Adrados (pp. 149-175). Amor in Euripide, Id. (pp. 177-200) Amor helenisticus, E. F. Galíano (pp. 201-22).

Duodecim tabulae pictae, eaeque magnae in artis provincia historiae. liberum hinc inde honestant, quibus et notae ad appendicis modum apertissime adduntur (pp. 229-232). Liber igitur eruditissimus praecipue, qui a lectoribus evolvatur dignissimus.

PHILOPONUS, C. M. F.

BUCHNER, KARL. — *Humanitas Romana. Studien über Werke und Wesen der Römer.* Carl Winter Universitätsverlag. Heidelberg. 1957.

Hic liber, quem Auctor scripsit usque dicavit qui ob institutionem acceptam humandum cultum tenere et altis tradere possunt et debent, nonnullas complectitur lucubrationes quibus opera et natura veterum Romanorum

exquiritur. Hae vero lucubrationes etsi res proprias et singulares attingunt, tamen quid libet commune servant et monstrant, quo inter se conjunguntur unumque efficiunt, ut plenius definitur et explicatur ultima longloque commentatione de Romanitate (*Römertum*).

Quae ita aguntur ut et peritisimos viros non dedeant et minus peritis pervia sint. Itaque opus utilissimum et peritisimia vitis et harum rerum imperitis qui tamen mediocrem classicam institutionem acceperint.

Rerum index: 1. Initium «Bellum Poenicum» Naeviant. 2. Terentius in continuatione seu traditione humanitatis occidentalis (*Terenz in der Kontinuität der abendländischen Humanität*). 3. Pestis a Thucidide, Lucretio, Montaigne, Camus inspecta. 4. Summum jus summa iniuria. 5. Methodus philologica: Catullus et elegia. 6. Vergilius. 7. Horatius de otio. 8. Ovidii Metamorphoses. 9. Tacitus de Christians. 10. Romanitas (*Römertum*). Notae (Anmerkungen).

Oratio elegans et locuples. Mihil placuerunt praecipue commentationes de Tacito et de Terentio.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

W. EISENHUT. — *Dictys cretenis. Ephemeridos belli Trojani libri VI a L. Septimlio ex graeco in latinum sermonem translati.* Accedit papyrus Dictyis graeci ad Tebtunim inventa. Lipsiae, in aedibus B. G. Teubneri, 1958, pp. 150.

Utilissimum sane omnique ex parte laudandum opus editor aggressus est, qui L. Septimli de bello Trojano libros, anno 1872 ultimum typis excusos, iterum magna cum cura recensuit.

Septimius ille quarto, ut videtur, saeculo ephemeredem belli Trojani, quam auctor graecus ignotus a Dictye Creteni, Idomenet herois Homericis comite, conscriptam esse ac Neronis Caesaris temporibus e sepulcri illius ruderibus in lucem prolatam esse fixit, latine interpretatus est atque copiose narratione exornavit. Archetypum graecum, quem fuisse viri docti antea alii crediderunt alii negaverunt, nunc existisse pro certo habemus, ex quo fragmentum papyraceum, apud Tebtunim

e sabinis aegyptiis erutum, anno 1907 Londini editum est.

Opus Septimii sex libris divisum est, quibus res gestae Graecorum narrantur a primis dissensionibus inter Dardanos Danaosque Iittis usque ad Ulrix post-Trojam captam atque excisam obitum. Interpretator nec magnis nec conspicuis ad scribendum ingenii dotibus fructus. Facta dictaque jejuno plerumque sermone refert, nullis vel scholasticis tantum artificiis animorum allicitorum causa adhibitis. Septimii latinitas, etsi cadentis Imperii aevum redolere nemo inficiabitur, multis tamen locis vel Caesarem vel Livium in mentem revocat ideoque perspicuitate non caret. Vocibus tam veteribus quam novis non raro utitur sicut *confere* (II, 22), *precator* (II, 48), *quisse* (IV, 18), et deos sibi *adhospitare* immolationibus (I, 15), exercitus *quadriportitur* (I, 19), arca *anteaeofficialis* (V, 12). Accedit quod res graecae haud raro vocibus romanis describuntur: *Eurypylus... legionibus... exceptus* (IV, 14).

Menda typographica duo tollenda sunt: p. 87, 1. 19: *Anticholi* legitur pro *Antilochi*: p. 117, 1. 11, *lapidus* pro *lapidibus*.

Speramus tandem editorem post Dictyn Cretensem mox Daretem Phrygium, alterum rerum Trojanarum scriptorem apud Romanos, editurum esse.

J. IJSEWIJN

ERNESTO BUONAIUTI. — *Saggi di storia del Cristianesimo*, a cura di Ambrogio Donini e Mario Niccoli. Prefazione di Luigi Salvatorelli. Neri Pozza Editore, Vicenza.

Hoc volumen locum praecipuum in illa «Biblioteca di Cultura» tenet. Varia quidem argumenta, atque ea scientia et arte critica a clarissimo auctore elaborata. En vero, specimenis gratia, eorum tibi argumentorum indicces.

*Caesarne an Christus?* (pp. 1-8). Parusia pagana et parusia christiana (pp. 9-22). Vocabula de amore, in Novo Testamento (pp. 23-31). *Fili lucis estis et filii dei*. — I Thes. V, 5 — (pp. 33-39). Paulus et Apollo (pp. 41-60). Frumentarii et captivitas romana Sancti Pauli (pp. 61-70).

*Syncretismus philosophicus et religiosus pristinis saeculis christianis* (pp. 71-88). *Schisma et haeresis in primaevis litteris christianis* (pp. 89-100). *Millenarismus Irenei* (pp. 101-117). *Marcion et Novum Testamentum latinum* (pp. 119-130). *Disceptatio religiosa saeculo tertio* (pp. 131-151). *Primum par hominum in systemate Manichaee* (pp. 153-172).

*Christianismus primaevus et res politica imperialis romana* (pp. 173-218). *Lucianus martyr, eiusdemque doctrina et schola* (pp. 219-257). *Christianismus in Africa Romana* (pp. 259-281). *Sanctus Augustinus cognitio-nis theoreticus* (pp. 283-301). *Augustinus et culpa originalis* (pp. 303-325). *Prolegomena ad historiam Joachim de Flore* (pp. 327-362). *Mysticismus Joachim de Flore* (pp. 363-382). *Initia Christiana et processus Franciscanus* (pp. 383-398). Accurati indices totum opus finiunt idque in facilitiore usum reddunt.

A. MARQUÉS, C. M. F.

FRANZ WIESTHALER. — *Die Oratio Obliqua als kunstlerisches Stilmittel in den Reden Ciceronis. Commentationes Oenipontanae XII.* Universitaetsverlag Wagner - Innsbruck.

De scientifica elucubratione hic agitur ad Lauream obtinendam, in philosophiae Facultate Universitatis Leopoldi Franzens, in urbe Oeniponte. Solida et erudita dissertatione de re haud parvi momenti in litteris latinis: *Oratio obliqua hinc inde scriptorum Ciceronis perpenditur a praeclaro auctore F. Wiesthaler, ut Principis latinorum Scriptorum.*

Quattuor densis capitibus plus centum pagellarum complentur, hoc fere tenore: I. De directa et indirecta sermonis ratione in Orationibus Cicerontanis. II. De usu sermonis indirecti. III. De significatione sermonis indirecti. IV. De syntactico examine orationis obliquae.

Maximi aestimanda bibliographia qua plurimi de re recensentur libri. Indices vero commodiissimi, quibus tota lectio facilior reddatur. Hanc dissertationem lectoribus magno opere, ut melius callere Cicerontanam linguam possint, commendamus.

A. MARQUÉS, C. M. F.



# SCHOLARES LINGUAE LATINAEC COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Premium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetas; in Gallia: 2'50 francs; in Italia: 300 libellis; in Germania 2 marki; in reliquis civitatibus: 0'50 dolari.

ANN. VI - (FASC. II) - N. 22

M. JUNIO

A. MCMLX

## Capillorum curam apud romanos describit T. Flavius

Fuerunt non ita pridem, pueri, qui ex primoribus tonsores apud se haberent; qui tonsores dominorum capillos tondebant barbamque radebant. Plerique tamen, tonsores adeunt qui, aut sub dio artem suam exercent et viatores alliciunt, aut in tabernis ubi tonstrinae sunt constitutae, manent. In tonstrina multi viri in scannis assident ac, dum vicem exspectant, de omnibus, quae hinc inde a civibus palam et privatim circumferuntur, amice confabulantur —nam haec est «sedes otiosis apta»—, adeo ut, quod plerumque etiam fit, tonstrinae rerum novarum quasi officinae sint, «resque lippis<sup>1</sup> nota et tonsoribus» sit quae apud omnes constet.

Ad tonstrinae parietem vel in mensula specula, pectines, forcices<sup>2</sup>, cultri, cultelli, novaculae, volsellae<sup>3</sup>, calamistri<sup>4</sup>, unguenta sunt apposita et cultellus tonsorius<sup>5</sup> ad ungues resecandas: ipsi enim tonsores et ungues curant.

Capillos aut tondent ad cutem<sup>6</sup> seu radunt, aut forcicibus strictim<sup>7</sup> vel per pectinem tondent<sup>8</sup>. Comam diligenter curant viri sed in primis mulieres, quarum variam comendi rationem alio die vobis narrabo. Saepe inaequali ratione<sup>9</sup> imperitus tonsor capillos tondet, quod saepe scituli adulescentes queruntur. Cinerarii seu ciniflōnes<sup>10</sup> calamistro capillos flectunt; barbam novacula seu cultro tonsorio radunt, quam cote<sup>11</sup> aciunt et levigant.

1. legañoso. 2. tijeras. 3. pinzas. 4. tenacillas, mediacaña. 5. cuchilla para cortar las uñas. 6. cortar al rape. 7. cortar al rape, a raíz de la piel. 8. dejar el cabello medio corto. 9. trasquilar, hacer escaleras. 10. rizadoor, peluquero. 11. piedra de afilar.



# Novissimum vulpis facinus

—Me stultum! Quid ego lora jugi in area reliqui?

Sic vilicus, oculis humi positis, ad stabulum sedens desperate querebatur. Res mira quidem, nam vilicus semper laetus erat; sive domi sive ruri, sive in agrum proficiscens sive domum rediens, sive bubus arans sive a laboribus sub arbore quiescens, semper canebat; quare «beatus» ab omnibus appellabatur. Quid autem illo die ei acciderat quod, orto jam sole, acriter stultum se ipsum nominabat neque ad laborandum exibat?

Paulo post, ex stabulo ut in sole ambularet, asinus exiit. Ut primum dominum tristissimum vidiit ad eum consolandum accedens de tristitiae causa quaesivit.

Querula voce dominus narravit se cum pridie animi et corporis vires ad instrumenta recondenda deficerent defessusque labore in agro esset, jugi lora et plastrum ceteraque quibus interdiu esset usus, noctu in area dereliquisse.

—Et quid inde? De hac re doles?  
—asinus ridens paeneque spernens erum objurgat—.

—Non de hac re solum, sed... vi-desne vestigia?

—Quae? Non plane quid dicere velis intellego. Nihil video...

—Inspice. Nonne haec vulpis vestigia?

—Ahi! quam stultus ego! Me asinorum ingeniosissimum id non attigissel Cur maereas teneo; dum nocte tu dormiebas, callidissima vulpes, tenebris abutens, ad aream pervenit ut cibum quaereret quo extremam famem expleret. Videns autem lora a te relicta, ea ad

speluncom ore adduxit putons se in aliquos dies cibum habituram, nam boum pelles, e quibus lora sunt facta, delicate gutturi ejus sapiunt.

—Ita est ut dicis, infortunatus agricola gemit. Nunc ne arare quidem agros potero et mihi necesse erit bovem jugulare, e cujus pelle lora iterum faciam.

—Ne timueris — inquit asinus — nec bovem caedes nec terram arare desistes. Si me ad vulpis cubile duxeris atque tribus hordei modiis donaveris, ad tres etiam horas quae vulpes arripuit lora tibi reddam.


—Non modo tres, sed et sex modios tibi dabo.

—Eamus ergo — sic loculus est asinus simul ac uterque, id est vilicus et asinus, iter propere ingreditur—.

Postquam per agros et silvas diu errarunt, cubile tandem invenerunt.

Asinus ab ero petuit ut se solum relinqueret. Cui obsequens agricola post magnam se abdidit arborem, ut posset illinc cernere quid asinus faceret. Qui quidem minime putabat se a domino videri, statimque ad limina speluncae procubuit adeo ut mortuus esse videtur. Paucis interpositis minutis quaedam minuscula vulpecula ex interiore forte exiens cubili, asinum humi jacentem vidit; quo perterrita, introrsus fugit et matri nuntiavit animal magnum esse ad portas mortuum. Tota vulpis familia portenti mirandi causa domo egressa est.

Vulpes mater in speluncam immittere asinum constituit. Itaque mater et poter liberique omnes, asini auriculas fortiter prehendentes, eum trahere conabantur; at frusta; quare vulpes afferri jussit lo-



rum quo pedem asini ligarent. Sed eum movere non potuerunt. Secundo etiam et tertio loro nequidquam illum ligave-

runt. Tum prudens asinus, qui ne spiraverat quidem ut re vera mortuus videtur, omnibus rudivit viribus, ita fortiter strepens ut vulpes, non facile pree festinatione speluncae aditum invenientes, vel metu animam spirarent vel in arbores caput impingerent. Asinus, cinctis loris decorus, cum domino victor domum rediit.

Sic vilicus arare et cantitare et beatus vivere perrexit. Asinus non modo sex hordei modiis donatus sed etiam multis aliis praemiis, semper ingenio et audacia in omnium admiratione fuit.

Maligna autem vulpes justa morte punita est.

BENEDICTUS RODRIGUEZ, C. M. P.  
e V anno

Castro Urdiales.

## PROVERBIA

Vulpes pilum mutat, non mores  
vixit animo infixa non mutantur, quae nec tempore nec aetate tolluntur:  
la zorra mudará los dientes, mas no las mientes  
el pelo muda la caposa, mas el natural no despoja  
el lupo cambia el pelo, mas no el vicio  
ó λύκος τὴν τρίχα, οὐ τὴν τυώμην ἀλλάττει  
Qui asinum non potest, stratum caedit  
de his dicitur qui cum veros injuriae acceptae auctores ulcisci non pas-  
sunt in debiliorem saeviunt:  
quién no puede dar en el asno, da en la albarda  
chi non può battere il cavallo, batte la sella.

*Index alumnarum INSTITUTIONIS TERESIANAE in urbe Santander (España), quae cum pueris Civitatum Foederatarum dare litteras volunt (cfr. p. 125):*

Maria a Doloribus Trueba (V cursus)  
Menéndez Pelayo, 68, SANTANDER (España)  
Maria Teresia Muñoz (V cursus)  
San Emeterio, 1, SANTANDER (España)

M.º Aloisia Martínez de la Hidalga (V c.)  
Alonso de Ercilla, 6, SANTANDER (España)  
Maria Elisabeth Angulo (VI cursus)  
Santa Lucía, 44, SANTANDER (España)

## De mirabili eventu Domini Quixoli

(*-DON QUIJOTE», 2, 12)*

Sanctius tandem juxta suber obdormivit, Quixotus vero ad validam dormitabat quercum. At parum temporis effluxerat cum a tergo insonuit sonus quo experrectus est, ac subita trepidatione surrexit et aspexit et audire voluit unde sonus adveniret statimque vidi duos homines equo insidentes, quorum alius alii, dum ex ephippio descendebat, ita dixit: «Desili ex equo, amice, atque equis frena solve; nam ni fallor, hic locus herba abundant atque silentio et solitudine quibus egent mea cogitata amore saucia».

Simul ac talia dixit, humi procubuit; arma autem quibus armabatur, dum procumbit, crepuerunt; manifestum signum quo Dominus Quixotus eum esse equitem errantem agnovit; qui, cum ad Sanctium qui dormiebat pervenisset, ejus brachium arripuit ac maximo labore ut Sanctius animo adesset curavit eique voce submissa dixit: «Sancti frater, eventum habemus». — «Quem Deus felicem reddat, respondit Sanctius. At ubi, mi domine, talis hic eventus?». Cui Quixotus: «Ubi sit interrogas? Verte oculos et aspice atque illic equitem errantem et humi accubantem videbis qui, ut mihi videtur, satis laetus non apparet; eum namque vidi desilientem ex equo atque humi procumbentem aliquibus signis contemptus ac, cum decidit, arma ejus crepuerunt».

Sanctius vero: «Ubi comperis, domine, inquit, hunc esse eventum?». — «Non dixerim, inquit dominus Quixotus, hunc omnino esse eventum sed illius, tantum initium, quia eventus inde oriuntur. Sed tace et audi, quoniam, ni mente decipior, lyram vel fides pulsat ac, cum spuat et pectus aperiat, accingitur certe ut aliquid canat». — «Ita est, respondit Sanctius; eques videtur, sine dubio, mente alienatus». — «Nemo est equitum qui ita non sit, inquit dominus Quixotus, eumque audiamus, nam ex ungue cognoscemus ejusque cogitationes, si canat, quia ex abundantia cordis os loquitur».

JOANNES PALOU

e III cursu Latinitatis

*Cervariae.*

## DE JOVE STATORE

Antiquis Romae temporibus, Romulus, primus rex Romanorum, urbem Romam condidit, multos hostes habuit. Titus Tatius, Sabinorum dux, bellum indixit Romanis. Deinde agmen egit in campum ubi postea forum romanum fuit. Cum Romanis pugnam commisit. Sabini jam vincebant cum Romulus caelum vocans templum vovit Jovi. Juppiter tum fecit finem pugnae. Romani et Sabini deinde amici fuerunt.

Cervariae. IGNATIUS RICART  
e I Latinitatis cursu

## DE SECUNDO BELLO PUNICO

Secundo bello Punico Carthaginenses ducem clarum Hannibalem habuerunt. Hannibal, cum erat puer, bellum in Hispania cum suo patre Hamilcare fecerat adversus Romanos. Postea agmen egit per montes Pyrenaeos et Alpes.

Romani fugantur a Carthaginensibus apud flumen Tescinum. Hannibal tandem vincitur a Scipione.

PETRUS CAPDEVILA  
e I Latinitatis cursu

Cervariae.



— Quotiescumque te video, memor sum Roberti.

— Attomen, omnino dissimilis sum illi.

— Ita est, sed tu mihi etiam debes quinquaginta pesetas...

# LUPUS ET OVIS

Cum animalia omnia loquendi facultate gauderent, herbas depascebant ovis simul cum filio. Tum agnus matri:

—Redeamus, inquit, domum, lupum enim magnopere timeo.

At illa: —Nihil tibi curae, filiole, sed age, passere dum licet; cras etenim aut pluet fortasse aut ninget.

Paulo post iterum filius: —Matercula, domum adeamus, nam nos lupus, si forte venerit, vorabit.

Cui mater: —Pascere, pascere, o bone, respondit; crastina enim die aut pluvia forsitan impediamur aut nive.

Terque cum essent sic collocuti, ecce lupus coram ipsis adstat.

—Quid huc venisti? —ab eo quaequivit ovis.

—Ut vos comedam.

—Laudandum sane consilium. Attamen dentes te accuere oportet illis in saxis quae procul absunt; nam, nisi feceris, non facile carnem nostram, quae quidem durior est, dilacerabis.

Dum autem lupus, id ut faceret iret, et ovis et agnus velocissimam fugam capientes, sese in ovile contulerunt. Cum ille rediisset nec vorandos in loco invenisset, ita post eos pro viribus cucurrit ut non multum abasset quin animam in illis consecandas amitteret. Sed frustra sane! Nam, cum ad cohortis ostium pervenisset, illud jam accurate clausum invenit.

In hac igitur narratiuncula stultum se lupus et insipientem exhibet.

*Samis.*

FERDINANDUS GARCIA

Filius. — Pater, volo esse magister!

Pater. — Doce bestias bene se gerere erga eros suos...

PATRICIUS ATEBÁ

alumnus Guineensis:  
e IV Latinitatis cursu

PETRUS PEREZ

e IV Latinitatis cursu

Barbastri.

## VERBA QUADRATA

	1	2	3	4
1				
2				
3				
4				

- 1) Pondus
- 2) Non ullus homo
- 3) Uligo
- 4) Fortuna

R. CARALT

Celsonae.

# C. MARCIUS



C. Marcius Coriolanus qui ministans patriae hostilemque animum in eam gerens ab Urbe in Volscos exulatum aberat, quondam infesta hostium multitudine ad Romae moenia pervenit ut eam obsidione premeret.

Senatus legatos misit ad C. Marcius qui eis hoc responsum dedit: «Si Volscis ager redditur, potest agi de pace; sin aliter, ipse, qui injuriae civium et hospitum beneficii sum memor, admittar ut appareat exilio mihi irritatum, non fractum animum esse.»

Iterum deinde iidem legati missi non recipiuntur in castra; neque sacerdotes, qui insignibus sacris velati supplices ad castra hostium ierant, nihilo magis quam legati animum C. Marcius Coriolani flectere potuerunt.

Tum matronae romanae precibus impetrarunt ut Veturia mater Coriolani, quamvis magno natu mulier, et Volumnia uxor, duos parvos ex Marcio ferens filios, secum in castra irent et quam armis viri defendere urbem non possent, precibus lacrimisque defenderent.

# CORIOLANUS

Ubi ad castra matronae romanae pervenerunt nuntiatumque est Coriolano adesse ingens mulierum agmen, ipse, qui nec legatorum nec sacerdotum majestate motus esset, multo obstinatior aduersus lacrimas mulierum erat.

Dein tamen cum familiarium quidam inter ceteras matronas cognovisset Veturiam matrem moestitia insignem, inter nurum nepotesque stantem: «Nisi me frustantur oculi, inquit, mater tibi conjuxque et liberi adsunt». Coriolanus, prope ut amens, consternatus, e sede se projectit ut matrem amplexaretur...

Tum Veturia: «Sine, priusquam complexum accipiam, sciam, inquit, ad hostem an ad filium venerim, captiva materne in castris tuis sim. Potuisti populari hunc terram, quae te genuit atque aluit? Te ego nisi perperisssem, Roma non oppugnaretur. Filiis tuis consule, quos, si pergis, aut immatura mors aut longa servitus manet».

Uxor deinde ac liberi Coriolanum amplexi sunt fletusque ab omni turba mulierum complorantium orti fregerunt tandem virum. Complexus inde suos dimittit, ipse retro ab Urbe castra movit. Abductis deinde legionibus ex agro romano invidia rei oppressum periisse tradunt.



## De alumnorum commercio epistulari

Haud pauci sane sunt Rectores Gymnasiorum, Institutorum, Seminariorum, ipsique alumni et alumnae, qui ad nos epistulas dederunt quibus significant se in animum induxisse cum adolescentibus aliarum nationum epistularum intre commercium, nuntiumque illum in PALAESTRA ADULESCENTIUM (n. 20, m. decembri a. MCMLIX) appositum sibi perjucundum fuisse. Hac enim ratione —latine scribendo— in lingua latina ediscenda se multum profecturos sperant.

### En pauca epistularum specimina:

«Libenter litteris tuis, quibus me nomina puerorum puellarumque rogasti ad epistulare commercium ineundum, libenter respondi Etenim incepto tuo vehementer faveo idque omni ex parte laudandum censeo.

Itaque duo jam manifestaria misi, quibus me postea alia additum esse spero; appellationem divulgandam curabo in commentaritis «Nova et Vetera», qui altero quoque mense apud nostrates a professoribus scholarum mediarum flandricis eduntur. Hoc igitur modo nuntius tuus totam Flandram mox pervagabitur». — J. IJSEWIJN, Ploegstraat 10, ANTWERPEN (Belgium).

«Sunt mihi decem aut duodecim alumni alumnaeque qui hoc commercium cum Anglicis intre velint. Benigne mihi expene quomodo mei discipuli ad illos epistulas mittant. Quam primum fac me certiores ut hoc commercium instituatur priusquam hic annus scholasticus finiatur...»

Sic inscribas: Richard T. URBAN 2108 Briggs — DRAYTON PLAINS — (Michigan, USA)..

Sunt et alii viri linguae latinae studiosissimi qui cum hujus linguae utilitatem et necessitatem ad hominis exculti institutionem et conformationem et in commune inter sapientes et amicos commercium cognovissent, toto se animo linguae latinae ediscendae dederunt. Qui, quanquam majores natu, tamen velut linguae latinae praecipui nobilesque alumni et in horum albo recensendi sunt. Quorum haec lege verba:

«Post Lugduni Conventum, reverendissime vir, ad te scribere erat in mente mea. Sed mihi magnum fuit impedimentum autoraeclariae naturae, quod postea tibi narrabo voluptatis causa, propter quod totum otium hujus mensis absumptum est. Nihil ergo feci in latinitatis causam, nisi legere Confessiones Sancti Augustini, quae mihi mirabiles visae sunt, et multis rationibus hodiernae etiam nunc semper manent. — Multum gavisus sum in

«Te certiores facio mihi gratissimum esse ut mei alumnii cum pueris altorum Seminariorum epistulare commercium habeant. Quod ad id confitendum elegisti meos alumnos, quam plurimas tibi gratias ago»...

Can. FRANCISCUS ALOISE — Seminario Vescovile — TROPEA (Catanzaro - Italia).

«In PALAESTRA ADULESCENTIUM vidi vos quaerere pueros et puellas qui velint cum pueris anglico aut puella per litteras latine scriptas consuetudinem et amicitiam intre. Itaque cum amem id facere, scribo tibi ut mihi inscriptionem puellae quatuordecim annorum signifiques. Inscriptio mea est: MONIQUE DESSESSARD — rue Chambreulent MONT DE MARSAN (Landes).»

«Tibi has litteras, cum velim cum puella quatuordecim annorum consuetudinem et amicitiam intre, mitto. Id legi in PALAESTRA ADULESCENTIUM m. decembri a. MCMLIX. — Inscriptio mea est: Mlle Jacobina DESSESSARD — rue Chambreulent - Quartier Briolle - MONT DE MARSAN (Landes).»

Conventu, non solum auditendo doctissimos viros vividissime latine loquentes — res mihi rarissima, nisi in Ecclesia ubi curio noster, qui est optimae voluntatis latine distincte pronuntiat —, sed etiam videre potui illos viros in futurum latinitatis humanitatisque constanter credere et sperare, et multum in bonam quam arbitror viam laborasse»... — Cl. DESSESSARD — rue Chambreulent — MONT DE MARSAN (Landes).

## INDEX PUERORUM QUI IN TER SE LATINE DARE LITTERAS VOLUNT

Joannes Jacob	X. X. puella 16 annorum	Maurena O'Mara
Rubensstraat 10	Latijnse Humaniora	5065 Sashabaw
ANTWERPEN (Belgique)	Katholieke Lyceum	CLARKSTON (Michigan, USA)
Josephus Henricus Peris Vidal	LIER (Belgique)	Immaculata Irribas
Seminario Diocesano	Maria a Monte Carmelo Mar-	Menéndez Pelayo, 68
TORTOSA (Tarragona, España)	Ria de la Pila, 32	[Iñez] SANTANDER (España)
X. X. puella 15 annorum	SANTANDER (España)	Josephilla del Amo
Latijnse Humaniora	Monica Desessard	Calle Alta, 81
Katholieke Lyceum	MONT DE MARSAN (Landes,	SANTANDER (España)
LIBR (Belgique)	France)	Jacobina Desessard
Maria Elisabeth Diego	Carolina Richmond	Rue Chambreulent
Travesía de Numancia, 4	6101 Oterlook	MONT DE MARSANT (Landes,
SANTANDER (España)	CLARKSTON (Michigan, USA)	France)

*Index puellarum quibus Prof. S. Morris' pueros anglicos ad commercium epistulare comparabit:*

Josephus Monferrer Guardiola	Eva Serra Puis	Ana Maria Blanco
Seminario Diocesano	Puerto Príncipe, 31	Rocafort, 66, 5. <sup>o</sup> , 1. <sup>o</sup>
TORTOSA (Tarragona, España)	BARCELONA 16 (España)	BARCELONA 15 (España)
Josephilla Ibañez	M. <sup>o</sup> Rosa Sopena Español	Blanca Serra Puis
Mina, 11	Pasaje de la Paz, 6, 1. <sup>o</sup> , 1. <sup>o</sup>	Puerto Príncipe, 31
TARRASA (Barcelona, España)	BARCELONA 2 (España)	BARCELONA 16 (España)
M. <sup>o</sup> a Doloribus Delelos	Maria ab Angelis Francia	M. <sup>o</sup> a Monté Serrato Ros Ribas
Cerdeña, 199, pral. 3. <sup>o</sup>	Mahsò, 29, 5. <sup>o</sup> 2. <sup>o</sup>	Virgen del Pilar, 15, 2. <sup>o</sup> , 2. <sup>o</sup>
BARCELONA 13 (España)	BARCELONA (España)	BARCELONA 3 (España)
	Amparo (Maria a Virgine Auxiliatrice) Giménez	
	Juventud, 102, 2. <sup>o</sup> HOSPITALET DE LLOBREGAT (Barcelona, España)	

*Hic quoque Seminariorum hispanicorum alumni cum aliis Seminariorum exterorum alumnis latine scribere desiderant: Seminario Misional de los Sagrados Corazones, ARTAJONA (Navarra, España):*

Villelmus Ramirez (15 annorum), Franciscus Ciriza (14 a.), Alfredus Andueza (14 a.), Josephus Henricus Lopez (15 a.), Matthias Martinez (16 a.), Emmanuel Bertrand (16 a.), Joannes Sanz (15 a.), Josephus Joachim Arrondo (15 a.).

Franciscus Cánovas Domene: Seminario Mayor, ALMERIA (España).

*Item litteras dare volunt alumni Seminarii Tropiensis. Epistulae mittantur:*

Prof. Francesco Aloise, Rettore del Seminario Vescovile, TROPEA (Catanzaro, Italia).

*Index ALUMNARUM INSTITUTIONIS TERESIANAE in urbe Santander (España), quae cum puellis anglicis dare litteras volunt:*

Maria a Monte Carmelo Cué (VI cursus)	Maria Josepha Tolosa (VI cursus)
Cervantes, 31, SANTANDER (España)	San Fernando, 44, SANTANDER (España)
Maria Teresia García (VI cursus)	Maria Teresia Espada (VI cursus)
Rubio, 4, SANTANDER (España)	Fernández Isla, 16, SANTANDER (España)
Maria Teresia Mazo (VI cursus)	M. <sup>o</sup> ab Angelis Gutiérrez Aja (VI cursus)
Cádiz, 1, SANTANDER (España)	Carden. Cisneros, 6, 2. <sup>o</sup> , SANTANDER (España)
Immaculata Martínez (VI cursus)	Immaculata del Campo (VI cursus)
Menéndez Pelayo, 68, SANTANDER (España)	Menéndez Pelayo, 68, SANTANDER (España)
Maria a Columna Barriuso (VI cursus)	M. <sup>o</sup> a Monte Carmelo Fuente Marqués (VI c.)
Príncipe, 1, 7. <sup>o</sup> , SANTANDER (España)	Lope de Vega, 10, 2. <sup>o</sup> , SANTANDER (España).

# Periculosa cum bestia pugna

Vir quidam, plantarum et animalium scientissimus, sibi casam in regione vastissima prope Ganges flumen aedificarat ibique cum verna fideliter vitam trahebat. Interdu sclopeto armatus per silvam intactam ac paludes calamis altis et juncis constitutas vagari solebat plantas raras et animalia explorandi causa. Aliquando verna ab eo petivit, ut sibi matrem graviter decubentem invisere licet. Sed antequam proficiseretur, ero iterum iterumque mandavit, ut ostium obice firmiter clauderet. Tigridem enim ferocissimum circa domum vagari et aliquot indigenas ex improviso abortum vorasse. Quadam nocte erus, postquam se lecto dedit, licet venatione lassus obdormire non poterat. Aër enim tam gravis erat, ut perdifficile esset halitum ducere. Quare e lecto surrexit, portam aperuit auraque frigida pulmones implevit dicens: «Pateat ostium, quoad immissa aura cubiculum satis sit frigidum». Tum stramen repetit et obdormivit. Haud multo post subito experrectus membra plumbō gravitora sentit. Cujus rel quae sit causa ignorat. Jam cum surgere vult, duo lumina horride per tenebras fulgere conspicit. Heul! Tigris pro lecto jacet. Per ostium enim, quod vir claudere erat oblitus,


irrepserset. Cor viri tot pericula experti palpitat et sudor salsus per membra manat. «Vae mihi misero qui nec sclopetum nec mucronem, quibus me defendam, habeam». Dum immotus recubat, beluam ferocissimam plus repente cernit et halitum foetidum olficit. Attamen in hoc summo vitae discrimine membra lente torpedine solvi, se angore levavi viamque sui servandi cognoscit. Nam cum lectus unius pedis spatio a pariete distet, amicus noster sese in ipsum intervallum demittit. Quod ubi tigris animadvertisit et se spe praedae optatae defectum sentit, ter circum lectum cursat et demum per idem intervallum plus repere conatur. Jamjam lectum summa corporis validit vi e loco semovet, cum lectus compage diffracta corruit beluamque pondere opprimit. Quamvis ferociter rugiat, membra hoc illuc torqueat lectumque abicere studeat, oppressus manet. Tum vir ex intervallo entus lectum transgreditur et mucronem praeacutum quater in monstri pectore defigit. Postero die verna, cum ex itinere redisset, erum viribus destitutum, tigridem interfictum offendit.

E Germania.

N. MANGOT, S. J.

## VERBORUM AENIGMA

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10



In transversum idemque ad perpendiculum. —

1. Grex; diligere. 2. Mercari; e voce «plico».
3. Rapidae naves; pronomen. 4. Cremo; collo-

care (litt. versis). 5. Scindar; totundit. 6. Animal agreste; genitor. 7. Infelix; altaria. 8. Et, qui nat. 9. Jovis epitheton (litt. versis); exedo

10. Evasi; paucos.

*Castro Urdiales*

E MIERA  
V cursus alumnus

## NE ME INTERFECERITIS

Cum ab hostibus, post proellum, tubercul quidam captus esset clamaretque iterum iterumque:

— Ne me interfeceritis neminem enim necavi, bucinam tantum inflavi —; hostes haec verba parvi facientes iratique admodum in tuberculinem:

— Morte tu multaberis majore ratione quam ceteri omnes captivi, quia bucina ad pugnam milites impellebas.

*Barbastri*

GABRIEL GARCÍA  
e IV Latinitatis cursu

Amor lucri ingenium acuit...

Antonius et Carolus, notissimi urbis Coloniae nugatores, quodam die in ripa fluminis Rheni inambulabant. Repente Antonius conspicatus tabulam in ripa defixam legit: eum qui in aqua pereuntem servasset accepturum praemium marcarum quinquaginta.

—En, Carole, inquit Antonius, nostra ea pecunia erit. Ego me permittam fluctibus, tu postea luctantem trahes ad terram.

Et tacente Carolo Antonius se demittit in flumen et aegre nitens contra vim aquae Carolum otiose spectantem inclamat:

—Insanisne, Carole, jamjam mergor undis neque me salvas?

Tum sicce Carolus: —Mihi est tempus, non hic mihi opus est properato, nam legi in tabula inferius fixa habiturum marcas centum, qui ad terram subvexisset mortuum.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.  
E Germania.

Mulier quaedam habet filium capitonem:

—Laboro, mater, capite.

—Toto, fili mi, toto?

Alabonar.

JESUS DE BLAS  
e III<sup>o</sup> Latinitatis cursu

### AD SALTUM EQUI

MU	EST	PRO	AT	O
PRI	O	VE	IN	PRU
AE	MUS	UM	TI	QUE
II	RI	IN	DEN	DA
■	II	GA	■	VEN

Celsonae  
SCHOLASTICI

### SOLUTIONES

(cfr. PAL. LAT., 1960, I, p. 56, 57, 62, 63; Pal. Adolescentium, n. 21, p. 4, 5, 10, 11)

VERBORUM AENIGMA. — In transversum: 1, furta, a, mater; 2, utes, ara, Naro; 3, eri, artus, mas; 4, ro, desidia, si; , e, d, sitio, l, s; 6, aes, tuo; lar; 7, adsum, s, metus (sutem); 8, juras, dudum; 9, o, mas, p, eis, s; 10, in e, par, s, me; 11, Cea, jacebo, per; 12, ames, res, sata; 13, mores, m, feras.

In perpendicular: fuere, a, Oicam; i, utro, ad, nemo; 3, rei, desum, aer; 4, ir, d, Surae, se; 5, a, aes, i, s; 6, arsit, s, par; 7, artitus, pacem; 8, audio, d, res; 9, m, Sto (Ston), sue, o, f; 10, an, a, ludis, se; 11, tam, latus, par; 12, eras, rem, meta; 13, rosis, m, seras.

AD SALTUM EQUI: •Una est in nostris tua, Fidentine, libellis pagina, sed certa domini signata figura• (MARTIALIS).

POEMATA HORATIANA. — Examen - mensae; saevit - vitale; aletur - turpis; pisces - cessat; satira - iratus. (HORAT Ep. I, XIX, 23; Ars. Poet. 198; Epod. III, 5; Sat. II, VII, 4; Sat. II, V, 4b; Carm. III, I, 33; Ep. I, VII, 78; Sat. II, I, 1; Ep. II, II, 12).

### VERBA QUADRATA

A	E	D	E	S	1	Aen.	II,	487
E	B	O	R	I	2		I,	592
D	O	C	E	T	3		VIII,	346
E	R	E	B	I	4		VI,	404
S	I	T	I	S	5		X,	274

### TRIANGULUS MAGICUS:

OSTIA — SCIO — TIO — IO — A

AENIGMATA. — 1. umidum extrahes; 2. cum alium conculeat; 3. minuitur; 4. annus, menses, dies, noctes; 5. hora deterendi horologium ut reficiatur; 6. suam aetatem; 7. aes sacrum, campana; 8. qui •panem nostrum eotidianum• recitat.



INTER — CU — RRO

# RECUBATE MOLLITER!

Pueri in tres choros distribuuntur et unusquisque chorus ad singulas litteras A-B-C ex ordine canere incipit.

A.  
Re- cu- ba- te mol- li- ter! Lu- maju- ga il- lu- mi- nat.

B.  
Sol jam summo la- tet mon- te: grex o- vi- le' pe- tit pon- te.

C.  
Somnus castra te- ne- at. Re- ou- ba- te mol- li- ter!

Pharmacopola magno ingenio praeditus,  
qui medicamenta capillis accrescendis conficiebat, hanc inscriptionem in lagunculis apposuit:

«Cavete ne hoc medicamen aliquam corporis partem, in qua capillos proligat nolitis, contingat.»

Hujus medicaminiis increbuit fama, et satis superque venit.

RAIMUNDUS M<sup>o</sup> TORNER, C. M. F.  
Celsonae.

—Cum venum mihi hunc canem dedisti,  
latronibus optimum eum esse mihi dixisti...;  
sed superiore nocte domum meam latrones,  
ut furarentur, ingressi sunt neque unum quidem ex latronibus momordit...

—Latronibus esse optimum jam tibi dixil  
MARCELLINUS FONS  
Barbastri. e V Latinitatis cursu

Mulier satis crassa via ambulabat, post quam duo etiam quidam.

—Hui! quae est haec vacca adeo ingens?  
—Haec vacca mater est vituli qui te comitatur.

JOSEPHUS ARMENDARIZ  
Castro Urdiales. e V Latinitatis cursu

Quis chartarum nummariarum fasciculum  
(fajo de billetes) vitta ligatum amist?  
—Ego —, quidam respondit.

—Accipe, domine, ecce vitta...

MARIANUS ORTIZ  
Barbastri. e IV Latinitatis cursu

## PERCONTATOR INCONSULTUS



—Scilane certo te os habere?  
G. LLORCA, C. M. F

# B I B L I O G R A P H I A

GIOVANNI D'ANNA. — *El Problema della composizione dell'Eneide.* Nuovi Saggi, 19. Edizioni dell'Ateneo Roma.

A clarissimo Professore atque de litteris latinis benemerito magistro, E. Paratore, lectoribus hujus modi liber offertur: quod quidem argumentum ex se maximi aestimandum.

Etenim opus altae inquisitionis de poëmate Aeneidös Vergillianaæ. Post brevem de re praefationem, hac scilicet ratione eruditus auctor procedit. I. Argumenta externa (pp. 11 - 19). II. Alterius Aeneidös partis antece-sio (pp. 21 - 29). III. Principia atque methodi (pp. 31 - 36). IV. Quaestio de libro decimo (pp. 37 - 47). V. Quaestio de libro tertio (pp. 49 - 79). VI. Compositio primorum sex librorum (pp. 81 - 100). VII. De quaestione quae dicitur «Ascanio — Silvio», atque de Vergilli relationibus cum Livio (pp. 101 - 112).

Reliquae porro libri paginae tanquam reli complementum: appendix, conclusio, addenda, auctorum recentium memoratorum index (pp. 113 - 132). Paucis, hoc opus historicum litterarum haud parvi erit momenti his, qui curiosius sapere exoptent de eo monumento latinitatis, quod est semperque erit poëma Aeneidös Vergillianaæ.

I. GONZALEZ, C. M. F.

F. CUPAIUOLO. — *Iter Latinitatis, Avviamento al tradurre e al comporre in lingua latina,* p. 400.

F. CUPAIUOLO. — *Guida a tradurre in lingua latina,* Felice Le Monnier, Firenze, p. 506, 1959.

Fabius Cupaiuolo summa opera nititur ut alumni sermonis latini elegantiam et puritatem percipient ejusque intimam rationem et vim plene assequantur; in eamque rem dum sedulo incubuit, utilissima praeberet discentibus opera. In quibus sunt *Grammatica latina,*

*La versione latina, itaque nuper addidit: Iter latinitatis et Guida a tradurre in lingua latina.* Hi tamen duo libri eadem rerum argumenta fere exhibent. Ac primum quidem iter latinitatis discipulis aperitur cum epitome seu compendium stili sermonis latini preeponitur, in quo summatim praecepta traduntur quibus intima stili latini vis et color vigeat et refulget. Epitome aequo quidem et sano iudicio exarata: ex qua alumni, si recte percepient, magnam capient utilitatem in classicis scriptoribus interpretandis et in recentioribus in latinum convertendis. Themata ex italico sermone in latinum convertenda consequuntur quibus ad interpretationem recte perficiendam adnotaciones subjunguntur; alia deinde sunt themata et italico sermone et latino conscripta, nulla addita annotatione. Sed alumni maxime in re proficient si reliquas partes recte adhibuerint: quaeque inscribuntur *Pagine di critica letteraria tradotte in latino* (proponuntur scriptorum Italorum loca latine redditæ), *Temi svolti in latino con note* (scriptorum recentium loca exhibentur in linguam latinam translata multaque in his secundum syntaxis et stilisticae praecepta accurate explicantur), denique sunt *Temi dall'italiano annotati*, quae themata in primis nobis maxime probantur, his enim alumni ad puram elegantemque dictiōnēm latinam assequendam miro modo ac probata ratione ducuntur. Liber parvo indice locutionum praecipuarum absolvitur, qui discipulis magno erit commodo.

Alter liber (*Guida a tradurre in lingua latina*) eandem rationem refert; plura sunt tamen loca seu themata, nulla proposita annotatione.

Quos libros si in percurrente latinitatis itinere ut probatos duces adhibueris, pro certo habeto optaram metam te assecuturum. Loca tamen quae nullis explicantur notis parum apta censemus.

Jos. M.<sup>o</sup> MIR, C. M. F.

*Catecismo Católico*, Traducción y adaptación española, Edit. Herder, 1959, Barcelona, 271 pgs.

BREMS - TILMAN. — *Gráficos ilustrativos del Catecismo Católico*, Edit. Herder, 1959, Barcelona, 244 pgs.

En tibi e germanico sermone summa fide exarata conversio et linguae hispanicae accurate accommodata illius operis quod in lucem Domus Editrix Herder Friburgi Brisgo viae a. 1955 edidit. Qui liber tum optime a viginti sex dioecesibus rei publicae Foederalis Germanicae acceptus, dein haud paucis linguis interpretatus omnium catechistarum plausu, ut nostris commendetur opus esse non ducimus. In hoc opere conscribendo autores «homo integer» non praeterit cum suis humanis cogitationis, sensibus, mente, voluntate, ingenio agendique facultate. Id in primis in comperto habetur scientiam in homine ad recte agendum per se unam minime mouere neque necessario virtuti cohaerere, cum enimvero qui pie et religiose vivit, tantummodo homo vere religiosus putetur.

Nunc vero Domus Editrix Herder ut complementum Catechismi Catholici nuper vulgavit alterum volumen; quod quidem, ut primum, catechistarum consensu acceptum iri speramus. Hujus libri ope, cui index est *Gráficos ilustrativos del Catecismo Católico*, pueri, qui mira oculorum acie et facultate gaudent, nuntium fidet per imagines facilius in annum accipient atque defigent. Pagellae libri una tantum facile ad commodiorem usum sunt prelo excusae; in prooemio via et ratio per imagines pueris institutionem religiosam tradendi explicatur et origo et usus hujus modi imaginum; quas catechista, quae sua est prudentia, ad arbitrium suum adhibebit. Tabula seu index thematum deinde insequitur, quorum numeris imagines ad oculos expedite revocantur.

Haec methodus seu ratio nostrae aetatis et praesertim puerili indoli adeo accommodata vivam sine dubio hodiernam catechismi reddit institutionem.

M. MOLINA, C. M. F.

## NUPER PRODIERUNT:

### 2.ème Congrès International pour le LATIN VIVANT

cujus operis haec sunt summa rerum capita:

- I. Présentation du deuxième Congrès pour le Latin vivant,
- II. Réactions suscité pour le Congrès,
- III. Liste des Congréssistes,
- IV. Manifestations du Congrès,
- V. Rapports de base du Congrès,
- VI. Communications et interventions,
- VII. Séance de clôture et Conclusions.

Hujusmodi opus venale prostat apud ÉDOUARD AUBANEL Editorem, Avignon (Vaucluse - France) et apud PALAESTRAE LATINAE MODERATORES, Conde, 2. - BARBASTRO (Huesca - España).

FELIX SANCHEZ VALLEJO, S. J.

### GALLIA ITERUM BIROTA CIRCUITUR

libellus publice laudatus in Certamine Capitolino Romae hoc anno habitu,

Universidad Pontificia, COMILLAS (Santander), 1960, p. 37;  
venit 10 pesetis.